Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Hagævs Propheta || E Lingva Sancta || In Latinam Versvs || Ac Explicatvs. || Doctor Ioannes || Draconites.|| ... ||

Lübeck: Balhorn, Johann d.Ä., 1549

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1869415310

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

HAGÆVS PROPHETA
E LINGVA SANCTA
IN LATINAM VERSVS
AC EXPLICATVS.

DOCTOR IOANNES
DRACONITES.

HAG. II.

Equidem statim Cœlum, Terram, Mare, aridam, Gentes omnes mouebo: Tum veniet DELICIVM OMNIVM GENTIVM, *& domum hanc gloria complebo: Dominus exercituum inquit.*

Regional-bibliothek Neubrandenburg
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1869415310/phys_0001
Mecklenburg Vorpommern

AD LVBECENSES.

ME sic CHRISTE potens amare pergas,
Et ui numinis incitare mentem,
Os & uiuifico replere uerbo:
Vt mysteria dia cœlicorum
Vatum qui Dominum canunt IESVM
Si gratum foret explicare uellem,
Et scriptis animas iuuare tristes.
Nil est christicolis minus ferundum,
Nec quid peius in urbe quam silere
Magni uerba Dei quibus Prophetæ
CHRISTVM delicium meum perenne
Depinxere uelut colore uiuo.
Ergo dum rogor a Dei ministro,
Ne longos hyemis dies silendo
Dilabi paterer, sed explicarem
Vatem qui breuitate gaudet, almi
Candori monitoris acquieui.
Quod si non uolet inuidere liuor,
Indulsisse putabit id columnas
Miranda sapientia regentes.
Sacri dogmata nos monent Hagæi
Conseruare scholas Deiq; templa,
Vt uerbi puer eruditus ore
CHRISTVM prædicet inclytum trilingui,
Diuinum iubeat coli senatum,
Concordes aueat uidere ciues,
Et sectas calamo retundat acri:
Ceu quondam Solymæ refector urbis
Accinctus rigido struebat ense.
Si fas & tibi commodum uidetur,
In sacrum poteris uenire ludum,
Aes cum turribus insonans ab altis
Audiri decima iubebit hora
Sermones quibus usus est Hagæus,
Dum tres admonet ordines ut ædem
CHRISTO magnanimè scholamq; condant,
Et paci studeant Deiq; uerbo,
Quo magno nihil est in orbe maius.
Hanc & nos pia turba christiani
Sectemur methodum fatendo uerum,
Quò dulcissima pax in urbe regnet.
Coniunctos animis & ore ciues
A CHRISTO separare nemo possit:
Tanquam funiculus triplex, ut aiunt,
Aegrè rumpitur, & pares amici
Disiungi poterunt furore nullo.
O LVBECA potens amato lucem,
Dum fulget tibi sol fauetq; CHRISTVS:
Ne densæ nitidum iubar tenebræ
Obscurent & in horridas negato
Pœnas lumine pertrahant caueto.

ORATIO IN HAGÆVM PROPHETAM.

NOVI MVLTOS ET MIRARI ET SCIRE CVPERE, VIRI doctissimi & iuuenes candidissimi: cur in hanc Vrbem magnificam uenerim, & in hanc scholam christianam desænderim. Quemadmodum autem Ioannes ille maximus inter natos mulierum interrogatus, cur docret ac baptisaret: respondit Deum ita uelle dicentem per Iesaiam Prophetam. Ego sum uox clamantis in deserto: Viam Domino parate. Sic ego christianorum omnium minimus, non aliam rationem mei cum aduentus in hanc urbem tum desænsus in hanc scholam reddere possum, nisi paternam Dei uoluntatem ecclesiæ CHRISTI profuturam. Nec uult etiam CHRISTVS, in hoc scribendi libros corrigendiq; negotio maiore quàm dicere possum, aliam me rationem cuipiam redderè, quàm Dei uoluntatem iustiniæ sacerdoti & patrono Doctorum Ioanni Rudelio cognitam optimè. Quare Dei & conscientiæ meæ testimonio contentus, nil de me sum dicturus: sed potius (quod uestra pietas expectat fortasse) quid me potissimum ad docendum hoc tempore permouerit: cur Prophetam Hagæum interpretandum atq; explicandum susceperim: quis sit status & quot conciones Hagganeæ prophetiæ: quæ sit conionum dispositio & utilitas: quid noceat Prophetarum contemptus: quando & qua lege sim Prophetam Hagæum prælecturus: in gloriam & salutem huius inclytæ reipublicæ candidè breuiterq; exponam. Equidem (ut hinc ordiar) non possum non libere confiteri, me inter omnes uirtutes magnanimi senatus nullam magis admirari, quàm diuinam sapientiam qua decreuit olim ut in hac schola Dei uerbum publicè docatur. Vt enim ciuibus omnibus senatus uix aliquid melius facere potest, quàm scholam trilinguem in hoc exædificare, ut docti præceptores filios eorum artibus liberalibus imbuant, ad docendum & scribendum fœliciter necessarijs theologo futuro. Sic christianis omnibus nil utilius ad uitam æternam facere potest, quàm fouere scholam theologicam: in qua docturis in ecclesia uerbum Dei prælegatur. Nulli mihi de genere humano melius uidentur mereri, quàm ij qui Dei uerbum in hoc docent, ut ecclesiæ catholicæ discipulos informent & doctores mittant. Itaq; cum uiderem post diserti Bonni mortem, grande silentium in schola theologica: rogatus à fratribus minimè contemnendis, ut hanc hyemem Dei uerbum docendo consumerem: non solum assentiendo prodesse quàm renuendo nocere malui, sed etiam talem Prophetam in manus sumere prælegendum uolui, qui tempori nostro maxime conueniret. Vt enim Hagæi tempore populus ideo non putabat esse Dei uoluntatem, ut templum Ierosolymitanum reficeretur: quia tyranni finitimi resistrent ædificationi. Sic nostro sæculo uulgus ideo putat actum esse cum euangelio, scholasq; inapit fastidire: quia sentit eos qui nullam partem habent in regno cœlorum, Verbi ministerium scholasq; extinguere conari. Non enim uidet cæca natura bullas ità uaniturus aduersus æterni creatoris uerbum diu pugnare non posse. Sed hactenus de causa meæ prælectionis, nempe Dei uoluntate libuit præfari. Nunc me propter methodum theologicam potissimum Hagæum Prophetam interpretandum atq; explicandum in manus sumpsisse, quæso breuiter audite. Nemo sit christianorum qui nesciat, Mosen inidò Decalogum, postea fidem in CHRISTVM, ideo docuisse ut genus humanum lege territum euangelio recrearetur & Dei gratiam in CHRISTO promissam implorare disceret. NEC diligens Prophetarum lector ignorat, omnes Prophetas interpretes esse Mosi, cunctisq; pœnitentiam gentibus prædicare CHRISTVM, instar Iesaiæ dicentis: Nos omnes uelut oues errauimus, sed Deus super illum omnia nostra peccata conicit. Qui Mosen & Prophetas nominat, is totum uetus instrumentum nominat: & qui uetus nominat testamentum, is librum Dei nominat in quo methodus noui testamenti prædicta est, adeoq; CHRISTO apostolis nobis omnibus præscripta. Quare si Deum Patrem in toto ueteri testamento, per Mosen legislatorem & Prophetas legis interpretes, nil aliud spirasse quis dixerit quàm legem & euangelium in hoc, ut non solum Deus & homo IESVS CHRISTVS in nouo testamento, sed etiam Deus spiritus sanctus per apostolos & nos usq; in diem iudicij, scripturas cœlestes quamsimillimè tractaret: quicquid in testamento ueteri proditum est, quicq; debeat scriptura tractari, dixerit. Ac Deo trino & uni gratia sit perennis, quòd in hac extrema mundi senecta, lucem istam legis & euangelij tam clarè fulgere sinit in patria nostra, quàm tempore Prophetarum & apostolorum fulsit. Nec enim is qui alia methodo scripturas interpretandi docendiq; populum auxit uti, quàm Prophetæ & apostoli sunt usi: cum Prophetis & apostolis sit partem in

regno

regno cœlorum habiturus. Inter minores autem Prophetas uix reperias qui plus momenti conferat explicatus ad methodi theologicæ uerbiq; ministrij conseruationem, quàm Hagæus Prophetæ nomen habens à festo. Est enim is status Hagganeæ conaonis, ut templum extruatur, in quo Mosi lex regnet, donec cum euangelio CHRISTVS in templum uenens aboleat testamentum uetus & instituat nouum, secundum promissiones diuinas. Nil porrò tam necessarium hoc ferreo seculo tam q; utile potest doceri, quàm sedulò Magistratus sacerdotes populos ad conseruationem ecclesiarum atq; scholarum adhortari. Quare me facturum operæpreaum putaui, si Prophetam Hagæum Sacchariæ cœtaneum, ideo tanquàm exemplar theologicæ methodi susaperem interpretandum atq; explicandum, ut non solum posteritas ipsa scripturas nos instar Prophetarum & Apostolorum tractasse cerneret, sed etiam ut nos omnes, in hoc tempore longè omnium turbulentissimo, Prophetæ nostri uerbis diuinis ad Ecclesias scholasq; instar Hagæi promouendas inflammaremur. Etenim si nostro seculo quasi Ieremiæ tempore Dei templa uastari, scholas trilingues negligi, Prophetias cœlestes extingui, magno cum dolore uidemus: & crudelior sit qui templis & scholis afflictis opem non fert, quàm is qui non extinguit incendium: non fuissem ipsi mihi dignus uisus qui uiuerem in hac urbe celeberrima, nisi Prophetam celeberrimum & in hoc a Deo missum, ut principes, sacerdotes, populos, ad templi studium cohortetur: non solum explicatum posteris methodi gratia transmitterem, sed etiam ut ideo per hunc omnes ad curam summam scholarum adhortarer, quia sine scholis ecclesia florere non potest. Enimuerò si Prophetiam suam Hagæus de templo Dei refoundo propter CHRISTVM uenturum diuidit in quatuor conaones angelicas: & uestra pietas eam diuisionem adeoq; dispositionem licet extemporalem audire minimè grauabitur: nec ego grauabor eandem in hoc recensere capitulatim, ut uel manu (quod aiunt) palpetis, officium esse theologi proprium, Legem & euangelium instar Hagæi docere. semperq; mortales omnes ad curam æternam uerbi ministerij studiq; magistrij cohortari.

☞ Prior Hagæi concio templum uastatum reficere iubens propter CHRISTVM in hoc templum uenturum (hæc enim concionis propositio) non solum continet doctrinam legis & euangelij, sed etiam habet exempla pœnitentiæ ac fidei pulcherrima. Legis doctrinam in quatuor locos: euangelij autem in duos: partiemur, hoc modo. Primum (ut inicium sumamus a lege) Duci sacerdoti populo, tria peccata contra tabulam primam, ostendit. Deinde recenset quinq; plagas, secundum comminationes decalogi, peccatis debitas. Tertiò resipiscere iubet, id est cessare à peccatis & facere Dei præcepta. Quartò uidet hac legis doctrina principem sacerdotem populum ita moueri, ut incipiant timere Deum eiusq; gratiam promissam in CHRISTO sitire. Atq; hi quatuor loci de lege. Sic ergò pœnitentiam agentibus duce sacerdote populo euangelium prædicat dicens (ego sum uobiscum) perq; hoc Euangelium datur spiritus sanctus: qui moueat ad uiuendum secundum tabulam primam, Deiq; templum exædificandum. atq; hi duo loci de euangelio sunt. Nec secundæ concionis alia sit methodus seu dispositio. Cum enim dux sacerdos populus in animum induxissent templum exædificare: & satan peccare deinò contra tabulam primam fecisset dicendo (hæc domus priori collata nil erit) ecce noster Hagæus a triplici peccato uocat ad pœnitentiam & fidem hoc modo. Secundum legem ita dicit: confidite & laborate. Deinde promissiones legales addit dicens: ero uobiscum & spiritum uobis dabo iuxta uerbum ægyptiacum. Secundum euangelicon uerò promittit resipiscentibus CHRISTVM, eiusq; regnum describit septupliciter: uidelicet à tempore aduentus, à signis aduentus, à gentibus CHRISTO seruituris, ab aduentu CHRISTI in hoc templum, à diuitijs christianorum, à gloria templi maiore seu legis abrogatione per euangelion in hoc templo, à regno CHRISTI spirituali. Videmus igitur & alteram Hagæi concionem, non solum spirare legem & Euangelion, instar concionis primæ, sed etiam CHRISTVM omnium gentium delicium tam illustrare uerbis paucissimis, quàm ullus Prophetarum etiam magnorum uerbis plurimis. Tertia concio sacerdotum officium describens, constat non solum duplici regato, quo probat Israëlitarum sacra non in templo facta impura esse: Verum etiam duplici ratione, uidelicet exponente cur ante structuram propter cessationem mala fuerint tempora, post uerò cœptam structuram Deum benedixerit: sic enim ait, ab hoc die benedicam. Est igitur concionis tertiæ propositio: sacra Israelitica non in templo facta & impura & animaduertenda esse. Enimuerò quoniam legis cæremoniæ respiciunt in CHRISTVM: & benedicere soli CHRISTO quadrat: facile dixerim tertiam Hagæi concionem, ideo non minus legem & euangelion quàm reliquas spirare, quia sacerdotis officium est, nil aliud quàm legem & euangelion docere. Neq; ultimæ concionis alia sit methodus seu dispositio, quàm trium priorum. Nam etsi prior concionis locus de subuersione regni perfidi uaticinetur, quod ædificationi iudaicæ restitit: secundus uerò locus de stabilitate regni iudaici usq; ad CHRISTVM in hoc templum uenturum, quod Serubabel extruebat: quia tamen nulla sub-

la subuersio sit sine tabulæ primæ transgressione: nec regni iudaici, uidelicet typi regni CHRISTI, stabilitas, sine promissionibus euangelicis fiat: cuiâ Prophetam Hagæum non solum ultimâ concione, sed etiam a capite (quod dicitur) ad calcem, nil aliud quàm legem & euangelion spirare. Ecquis uerò tam eloquens sit, ut harum concionum utilitates ineffabiles explicare possit? Immensum est quod e prima concione discere possunt Magistratus sacerdotes populi omnes, uidelicet ecclesiarum atq; scholarum neglectum, ideo tanquàm mortem æternam fugere, quia pœnas æternas legis comminationibus expressas in dorso fert. Ediuerso studium ecclesiarum atq; scholarum, ideo sequi tanquàm uitam æternam, quia cuncta bona fert secum in omnibus promissionibus diuinis expressa. Secundæ uerò concionis utilitatem quis poterit uel comparare uel effari? Quemadmodum enim princeps sacerdos populus concione legis territi, sic euangelij prædicatione de CHRISTO uenturo sunt recreati, ut per & propter solam fiduciam misericordiæ Dei in CHRISTO promissæ, consecuti sint & remissionem peccatorum & uitam æternam. Sic & nos omnes quotquot secundum legem damnationem sentimus in conscientia, per & propter solam fidem huius concionis Hagianę de CHRISTO nostro delicio, consequimur hæc duo bona perennia, nec ulla lingua effabilia, nempe conscientiam cum Deo pacem habentem dum spiritus hos regit artus, & post hanc mortem uitam CHRISTI uitæ similem & immortalem. Tertiæ concionis utilitatem explicare me posse diffido. Nam si per legem quæ debet sacerdotes rogari, non solum peccati legem sed etiam spiritus intelligo, puto legis & euangelij doctrinam uniuersam atq; distinctam. Omnis autem utilitas quæ potest hominibus euenire, per Dei legem euenit: teste Psalmo decimonona sonante. Lex Domini immaculata recreat animas: testimonium Domini fidele sapientiam dat paruulis. Mandata Domini recta letificant cor: Præceptum Domini lucidum oculos illuminat. Timor Domini purus manet in sæcula: iudicia Domini uera iustificant. Desiderabiliora sunt quam aurum & obryzum multum: & dulciora quàm mel & fauus. Etenim seruus tuus admonetur per illa: qui custodit illa mercedem habet magnam. Colligo sine Dei lege sacerdotes rogata non solum nullam homini utilitatem salutemq; euenire posse, Verumetiam contemptum legis adeoq; sacerdotum de lege rogandorum certam secum damnationem afferre. Sedet in hac corona uir dignus fide, qui nouit illustrem uirum dicere solitum. Vidimus nostro sæculo triplicem religionem in orbe christiano: Prior fuit scripturis aduersaria: posterior fulsit in ecclesia CHRISTI, Velut ardens lucerna: tertia candidum nigrum & nigrum candidum uocat. Hic si nescias quò te uertas & cui potissimum adhæreseas: nec habeas sacerdotem quem de lege roges, quiq; uerbo Dei te certificet, ita ut scias cui debeas assentiri: præstiterit te nunquàm uixisse. Vltimæ concionis utilitatem si roges & populi nossent, Hagæum quouis auro obryzo & lapidi precioso tam longè præferrent, quàm distat oriens ab occidente. Quid enim regibus & populis utilius est, quàm scire: quemadmodum Hagæus prædixit, regnum Persicum iri uastatum, regnum autem Iudaicum iri constabilitum, propter CHRISTVM uenturum: ita CHRISTVM uenientem cum euangelio Dei, non solum spiritualiter omnia mundi regna subacturum, teste Daniele, sed etiam funditus in die iudicij subuersurum, teste Paulo. Qui norunt omnia mundi regna per solum CHRISTVM condi, regi, mutari, non solum Deum timent & filium osculantur, sed etiam tanta præmia diuini cultus percipiunt, quanta rex Dauid pater CHRISTI secundum carnem. Quoniam ergo Psalmus triceſimus tertius ait, Regem per suam maiestatem non seruari, Deumq; irrita facere consilia gentium solere ita, ut timentes & credentes duntaxat & in hoc respiciat, ut liberet eos a fame & morte: nil posse commodius a regibus & populis audiri, quam tales Prophetarum conciones, de regnorum mutationibus propter CHRISTVM: lucet non solum è promissionibus diuinis regibus & populis christianis factis, sed etiam ex incommodo perenni, quod omnibus regibus & populis ob contemptum regni CHRISTI accidet, teste Iesaia dicente: Omnes gentes & reges, tibi non seruientes interibunt. Debebam nunc calumnias eorum, qui non solum Prophetas sed etiam iudicium hoc de Prophetis contemnunt, refutare: nisi meum esset misereri potius, instar CHRISTI suorum inimicorum miserentis, quàm in eos conuitia dicere, qui ter miseri sunt, propter contemptum Prophetarum. Nec secum ipse nec cum alijs pacem habet, qui Prophetas contemnit: ideo talem comparat Esaias turbulento maris æstui dicens, non est pax impijs. Omnibus ijs qui Prophetias extinguunt omnes sancti tales diras imprecantur: qualibus Psalmus centesimus nonus deuouet Iudam: & quales Sauli Dauid imprecatur. Nec sanctorum preces diuinis comminationibus aduersus Prophetarum inimicos dictis inuitentes effectu carere: lucet ex illo Psalmi noni dicentis, in facinore suo impius uerbo irretitur. Et Saul omnibus diebus uitæ suę Dauidem persequens, semetipsum occidendo uerissimum illud Psalmi triceſimiseptimi iudicium esse comprobauit: impius extrahit gladium suum ut occidat iustum, sed gladius eius suum ipsius cor penetrabit. Quisquis Prophetias extinguit, non solum reus

lum reus est diuinæ maiestatis, sed etiam in extremo iudicio cum diabolis audiet, ite maledicti in ignem æternum. Hæc Dei iudicia tormentaq; contemptoribus Prophetarum omnibus parata, quem non deterrent adq; respipiscendum mouent: eum non stipitem & caudicem indignum hominis uocabulo sed diabolum incarnatum pœnis æternis dignum existimo. Restat dicere, quando & qua lege sim Prophætam Hagæum prælecturus. O si possem uno die ter quicquid est in hoc pectore CHRISTI uerbum Dei sitientibus infundere. Sed tu CHRISTE fili Dei uiuens & cordium inspector omnium testis es, me tuo iussu, propter te, nec ob aliam rem in hanc urbem uenisse, nisi ut quicquid Deus Pater in Mose Prophetisq; de te locutus est, per spiritum sanctum, non solum in hoc, consilio Doctoris Rudelij non sine laudibus memorandi nisi præsto esset, euulgarem, ut testes mille producerem aduersus omnes antichristos, nostram fidem christianam solam esse rectam sub cœlo: Verum etiam omnes mortales qui CHRISTVM ignorant hoc scripti genere modestissimo ad te mundi seruatorem adorandum inuitarem. Vos autem qui linguarum & scripturarum estis periti, librosq; scripsistis, mei testes eritis fidelissimi, cottidie scribere & corrigere libros, non dico cedro dignos, sed analogos fidei, quos excudant duo typographi strenui, laborem esse plus quàm Herculanum imò penitus homini sine Deo impossibilem. Ad impossibile nemo obligandus. Quare præ negocijs tantis haud possum etiam si maximè uelim, plures horas in hebdomada quàm duas publicè docere. Enimuerò si uolent ij quos Paulus uocat Episcopos à spiritu sancto gregi parto CHRISTI sanguine præfectos uno dierum mea prælectionis, in salutem huius urbis perennem, celebrare diem supplicationum, in quo roget omnis populus Deum & Patrem CHRISTI nostri seruatoris, ut dignetur huic urbi Dei nunc plænæ pacem & ueritatem non auferre, dum uiuimus (uox uerbis Esechiæ regis) libenter equidem silebo dum ipsi loquuntur, & ecclesiam scholæ præferam. Hac autem lege prælecturus sum, ne quis putet sic obstrictum ad prælegendum, ut si necessitas postulet typographica uel omittere prælectionem uel quò CHRISTVS uocet gratia diuinorum typographorum secedere nefas sit. Volebam potius sapientiam magnanimi senatus exemplo meæ prælectionis ad curam summam ecclesiarum atq; scholarum laudando saltem hortari, quàm ullius condicionem aut locum hoc prætextu scilicet ambire uideri. Ago Deo Patri meo gratias magnas, quod mihi puluisculo tam non sit necessum pro laboribus uel scholasticis uel ecclesiasticis circumcursare, ut fratres etiam docti soleant expetere, quod ego rennuere cogor. Sao præterea mundi principem (licet nunc disrumpatur & cœlum terræ miscere conetur) id tamen haud effecturum quod in animo fert: sed aliquam semper in terra domini sedem uerbi confessoribus relicturum. Itaq; liber auditoribus liberis, dum possum, & quantum CHRISTI spiritus eloqui dabit, Hagæum Prophetam explicabo: meq; erga cunctos in hac urbe benemeritos, hac communi beneuolentia gratum esse declarabo. Nec si uerbum Dei confitebuntur, erumq; amicorum (ut dicitur) amici, donec Propheciæ completæ fuerint: benemerentibus gratiam referre meliorem atq; digniorem potero quàm uerbi Dei Professionem & laudem nominis eorum in libris CHRISTI perennem.

Est hoc in Oratorum more positum, ut in epilogis repetant principalem orationis Propositionem argumenta potissima, affectus efficatiores, uidelicet ad monendum atq; mouendum eos qui dicentem audiuerunt. Vt ego nunc breuiter enumerare debebam, causam mei cum aduentus in hanc urbem tum descensus in hanc scholam christianam esse Patrum Dei uoluntatem ecclesiæ CHRISTI profuturam: ex uniuersa Prophetia Hagiana, summatim uobis esse discendum, ut uerbi ministerium atq; ludimagisterium diligentia summa curemus: ut neglectum ecclesiarum & scholarum tanquàm diabolum & infernum, detestemur atq; fugamus. Sed meum est potius tantis doctrinarum luminibus agere gratias, quòd indoctum loquentem audiuerunt, quàm repetitione molesta uideri doctos (ut aiunt) docere. Etsi condor eorum facile permiserit spero, me propter gregem CHRISTI paruulum uelut parasceuen in explicationem non totius prophetiæ sed primi saltem capitis pangere: quod non solum monet, sed etiam mouet ædificare templum, in quo CHRISTVS sit uenturus. Siquidem ualde contulerit ad lucem capitis primi (quod supra dictum non est) diuisio capitis in epigraphen & concionem primam: fuerèq; non solum epigraphen sed etiam concionem primam imò conciones omnes ex uaticinijs Prophetarum. Sicut enim Danielis nono prædiatur ex Ieremię uicesimo reditus Iudæorum è Babylone in Ierosolimam templiq; ædificatio: ita quomodo sit urbs refecta templumq; extructum in Esra describitur, ita ut sine cognitione Esræ ac Nehemiæ (ueré namq; dia solet Historiam esse metrum sensus) non solum epigraphen & concionem primam sed etiam conciones omnes Hagæi sit aliquis uix intellecturus. Talium perutilium & similium locorum antedictorum breuem collectionem requirebat (ut dixi) peroratio: sed peritiores scripturæ quàm ego sum, breuitate gaudent, & imperitiores me copiosius audient quàm in epilogis dici uel potest uel debet. Qua propter usum est epilogum seu quis mauult epilogi clausulam in uotum conuertere: Deumq; trinum & unum precari, quò corda ora corpora nostra, dum uiuimus in hac lachrymarum ualle, regat accendat moueat ad CHRISTVM in Prophetis quærendum & inueniendum, ita ut Hagæum omnesq; Prophetas non solum intelligamus & imitemur, sed etiam cum illis sanctæ trinitatis est ectu beati in regno cœlorum perpetuò uiuamus.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1869415310/phys_0006
Mecklenburg Vorpommern

HAGÆVS PROPHETA.

CAPVT PRIMVM.

ANNO SECVNDO REGIS DARII, sexto mense, prima die mensis: factum est verbum Domini per Hagæum Prophetam: ad Serubabelem Sealthielis filium Judæorum ducem, et ad Josuam filium Jehozadaci Sacerdotem magnum: dicens.

SIc Dominus exercituum ait. Populus iste dicit: nondum est tempus ædem Domini extruendi. Itaqz factum est verbum Domini per Hagæum Prophetam inquiens: Vobis est, o vos, tempus, domos laqueatas inhabitandi: domus autem hæc deserta est.
Proinde sic ait Dominus exercituum: animaduertite vias vestras.

MVltum seminastis: et parum infertis. Comeditis: sed non saturamini. Bibitis: et non inebriamini. Induimini: et non calefitis. Mercedem colligitis in saccum perforatum.

Sic ait Dominus exercituum: vias vestras animaduertite. In montem conscendite: lignum afferte: domum ædificate: in qua dexter ero, et honorabor: Dominus inquit.

Respicitis ad multum: et ecce parum. Quod in domum fertis: id exuffio. Quamobrem Dominus exercituum inquit: Quia domus hæc mea deserta est: Vnusquilibet autem vestrum in domum suam currit. Quapropter cælum vobis rorem denegat: et terra fructum suum prohibet. Siccitatem vocaui super terram et montes, super frumentum, mustum, oleum: super omne quod terra producit, super homines et iumenta, super omne quod manus facit.

TVm Serubabel filius Sealthielis, et Josua filius Jehozadaci sacerdos magnus et omnes reliquiæ populi vocem Domini Dei sui verbaqz Hagæi Prophetæ audiuerunt: quemadmodum miserat eum Dominus Deus eorum: et populus Dominum timuit. Itaqz Hagæus angelus Domini legatione Domini fungens ad populum inquit. Ego sum vobiscum: Dominus inquit. Ac Dominus spiritum Serubabelis filij Sealthielis ducis Judæorum, et spiritum Josuæ filij Jehozadaci sacerdotis magni, et spiritum vniuersi populi superstitis exuscitauit, ita vt venirent et facerent opus in domo Domini exercituum Dei sui.

CAPVT SECVNDVM.

VIcesimaquarta die mensis sexti: anno regis Darij secundo: Vicesima prima die mensis septimi: factum est verbum Domini per Hagæum: dicens. Alloquere Serubabelem filium Sealthielis ducem Judæorum, et Josuam filium Jehozadaci Sacerdotem magnum, et reliquum populum, dicens.

Ecquis inter vos superest, qui domum hanc in gloria sua prior vidit? ecqualis vobis ea nunc videtur? nonnè vobis ea nulla videtur? Tu vero Serubabel confide: Dominus inquit. Tu Iosua fili Iehozadaci sacerdos magne: sis fortis. Omnis terræ populæ, sis animo bono et labora: Dominus ait. Equidem vobiscum sum: Dominus exercituum inquit. secundum verbum quod pepigi vobiscum in exitu vestro de Aegypto: spiritus meus inter vos manebit: ne timeatis.

SIC DOMINVS EXERCITVVM AIT. EQVIDEM STATIM COELVM, TERRAM, MARE, ARIDAM, COMMOVEBO: OMNES GENTES COMMOVEBO. TVM VENIET DELICIVM OMNIVM GENTIVM. AC IMPLEBO DOMVM HANC GLORIA: DOMINVS EXERCITVVM INQVIT. MEVM EST ARGENTVM, MEVM EST AVRVM: DOMINVS EXERCITVVM AIT. MAIOR ERIT GLORIA DOMVS HVIVS POSTERIORIS QVAM PRIORIS FVIT: DOMINVS EXERCITVVM AIT. ET HOC IN LOCO PACEM DABO: DOMINVS EXERCITVVM INQVIT.

VIcesimaquarta noni, anno Darij secundo: factum est Domini verbum ad Hagæum Prophetam: dicens.

Sic Dominus exercituum ait: interroga nunc sacerdotes legem, dicens. Si quis poneret carnem sanctam in sinu vestimenti sui, et attingeret sinu suo panem, pulmentum, vinum, oleum, edulium quoduis: num sanctificabitur? Sacerdotes responderunt dicentes, non. Tunc Hagæus inquit: Si tetigerit pollutus anima hæc omnia: num polluentur? sacerdotes responderunt dicentes, polluentur. Respondit Hagæus inquiens: Sic gens ista coram me, Dominus inquit, sic omne quod faciunt manus eorum, et quicquid afferunt huc, pollutum est.

Proinde animaduertite vias vestras ab eo die et supra, antequàm lapis super lapidem in templo domini ponebatur. Cum quis veniret ad aceruum viginti modiorum, erant tantum decem: cum veniret ad torcular vt batos hauriret quinquaginta, erant viginti. Percutiebam vos robigine, aurugine, grandine, omne opus manuum vestrarum: nec sic estis ad me conuersi, dominus inquit. Animaduertite a die hoc et supra, a vicesimo quarto noni ad diem quo templum Domini fundatum est animaduertite. Estnè semen adhuc in spica? adhucnè vinea, ficulnea, malogranatum, arbor oliuæ non floruit, ab hoc die benedicam.

VIcesimaquarta mensis: factum est denuò verbum Domini ad Hagæum dicens. Alloquere Serubabelem judæorum ducem inquiens. Equidem cælum ac terram commouebo: et thronos regnorum subuertam: ac fortitudinem regnorum gentilium delebo: et currus vnà cum equitibus suis euertam, ita vt equi cum equitibus suis, vnusquilibet per gladium alterius, occumbant.

Illo tempore (Dominus exercituum inquit) Assumam te Serubabelem filium Sealthielis seruum meum (ait Dominus) et habebo te pro sigillo: nam elegi te, Dominus exercituum inquit.

⁂

COMMENTARIVS:
IN HAGAEVM PROPHETAM:
CAPVT PRIMVM.

ANNO SECVNDO REGIS DARII, SEXto mense, die mensis prima: factum est domini verbum per Hagæum Prophetam: ad Serubabelem Sealthielis filium, ducem Iudæorum, et ad Iosuam Iehozadaci filium sacerdotem magnum.

EPIGRAPHE TEMPVS ET PERSONAS PROPHETIAE TRIFARIam describit: orditur enim à Chronographia: dein autorem Prophetiæ recenset: postremó ad quem Prophetia facta sit exponit.

PRophetiæ tempus his uerbis exprimitur: Anno secundo Regis Darij, sexto mense, die mensis prima. Darius sextus Persarum Monarcha fuit Assueri filius: cuius nomen interpretari solent ἐρξιάν hoc est aduersarios arcentem. Notum est Persas uocare suum magistratum Artaxerxem: constatq; Darij manum dextram sinistra fuisse longiorem. Itaq; uocatus est Darius artaxerxes Longimanus. Hic anno secundo regni sui Iudæis denuò facultatem reficiundi templum urbemq; concessit. Etsi namq; primus rex Persarum Cyrus Iudæis copiam redeundi Ierosolymam templumq; ædificandi fecisset: ac templi fundamentum iactum esset, teste 1. Esræ, 3. Attamen Cuthæi populiq; finitimi Iudaicam exædificationem sic impediuerunt usq; ad Longimani sextum annum, ut Iudæi non falsò dixerint Io. 2 templum Ierosolymitanum annis quadragintasex extructum esse. Porrò sextus Ebreòrum mensis Nisan appellatur: ferèq; Martio respondet. Cum igitur ait (Anno secundo regis Darij, sexto mense, die mensis prima) uult dicere: Longimani Persarum monarchæ sexti, anno secundo, Martij die prima, hanc Prophetiam Hagæi tanto successu factam esse, ut Dei templum ædificari Cyri tempore ceptum, anno Longimani sexto uidelicet exædificaretur, teste. 1. Esræ. 6. Hæc de tempore Prophetiæ: nunc de autore.

PRophetiæ autor uerbis his exprimitur: factum est domini uerbum per Hagæum Prophetam. Prophetiam Hagæi uerbum esse domini, nil aliud esse quàm spiritum Dei sanctum quicquid hoc libro scriptum est dixisse: confirmo uerbis 2. Pe. 1. dicentis: Nulla Prophetia reuelata per humanam uoluntatem est. Enimuerò per quem Deus hanc Prophetiam sit elocutus, hisce uerbis בְּיַד חַגַּי exponit. חַגַּי sonat ἑορτάζων: nos festiuum dicere possumus. יַד manus: significat hic instrumentum seu ministerium κατὰ τὴν μετωνυμίαν. בְּ per uel in: subindicat Hagæum fuisse diuinum instrumentum per cuius ministerium Dei spiritus hæc locutus sit. Quam sententiam Petrus citato quoq; loco confirmat dicens: homines Dei sancti acti spiritu sancto locuti sunt. Cum ergó dicit (Verbum domini factum est per Hagæum Prophetam) uult dicere: non ipsum Hagæum sed Deum spiritum sanctum per Hagæum omnes doctrinas huius libri secundum legem Mosi fecisse, déq; CHRISTO uenturo secundum Euangelion Dei Prophetasse. Quàm sententiam & Sacharias Lu. 1. confirmat dicens: à seculo Deus per os sanctorum Prophetarum locutus est. Hæc de autore Prophetiæ: nunc ad quem facta sit.

AD quem Prophetia facta sit exponitur hisce uerbis: ad Serubabalem Sealthielis filium ducem Iudæorum & ad Iosuam Iehozadaci filium sacerdotem magnum. Etsi uerò caput Esræ quintum satis exponat hanc Prophetiam ad primum Iudæorum ducem post captiuitatem Babyloniam, nempe Serubabelem Sealthielis filium, adq; Iosuam primum sacerdotem magnum factam esse: tamen ad perfectum intellectum τῆς ἐπιγραφῆς Esræ capita priora septem legisse conferat. Nam primum Esræ caput exponit, quomodo Cyrus Iudæos captiuos dimiserit: secundum recenset catalogum innumerabilium Iudæorum libertate donatorum: tertium quomodo Serubabel & Iosua ceperint ædificare: quartum ut ædificatio sit usq; ad Longimanum impedita: quintum narrat quomodo fecerit hanc Prophetiam Hagæus ad Serubabelem ducem & Iosuam sacerdotem magnum: sextum quomodo

Longimanus Hagæi Sacharicq; Prophetijs motus per Serubabelem & Iosuam Cyri regis inæptum perfœrit templumq; extrui curauerit. Hæc igitur de epigraphe: quam ideo tribus circumstantijs seu locis à tempore personisq; Prophetiæ desumptis confirmat, ut uerbo Dei maior fides adhibeatur.

ENimuerò Prophetam Hagæum tres ordines ciuitatis, uidelicet principalem, sacerdotalem, populare, simul ad ædificationem templi Dei propter CHRISTVM uenturum adhortari, tria significat. Primum hos tres ordines à Deo & probari & respici propter CHRISTVM quod etiam Psalmus 65. confirmat. In quocunq; igitur statu uitam agis, si propter CHRISTVM uiuis, scholis ecclesijsq; faues, reliquis duobus ordinibus secundum uerbum Dei seruis: esse Deo te gratum, Petrus Ac. 10. testatur inquiens. Verè noui Deum respectorem personarum non esse: sed in omni populo quisquis Deum timet & rectè facit, illi gratus est. Deinde CHRISTVM propter quem hi tres ordines creati sunt, ad timentes & credentes in tribus ordinibus ex æquo spectare. Nam Dei promissiones de CHRISTO uniuersales ita sonant: in semine tuo benedicetur omnibus cognationibus terræ. Proinde neminem horum trium ordinum à regno cælorum excludi, nisi qui promissiones ad se spectare negat: ipsiusmet CHRISTI uerbis Mar. VI. dicentis confirmo. Qui non crediderit damnabitur. Postremò sicut hi tres ordines Iudaïci Ierosolymis propter CHRISTVM uenturum in carnem uiuebant secundum legem Mosi concordes, uerbum Dei traditionibus humanis contaminari neutiquam patiebantur, nec propter aduersarios uicinos abædificatione templi cessabant: ita tres ordines christiani in ciuitate propter CHRISTVM uenturum ad iudicium, debent uiuere concordes secundum nouum testamentum & catechismum, nec pati euangelion Dei magis humanis contaminari, neq; propter metum hominum ueritatis confessionem abijcere, more Iudæorum negantium CHRISTVM. Hæc de epigraphe: nunc de contione.

DIxi primam Hagæi condonem habere non solum doctrinam legis & euangelij de pœnitentia & fide, sed etiam exempla ueros pœnitentiæ ac fidei fructus proferentium. Addidi CHRISTVS hac uniuersam scripturam uelle explicari methodo μεταροεῖτε & πιστεύετε τῷ ἐυαγγελίῳ resipiscite & credite Euangelio. Antequam ergò concionem in sex locos diuisam expliçemus: ideo quod sit officium legis & Euangelij breuiter exponam quasiq; præfabor, ut qui sint loci sex in quæ caput diuidi queat liquidò cernatur.

LEgis officium est secundum Hagæum: primum ostendere peccata contra legem admissa: ut Deus hic ait, populus iste dicit, nondum uenit tempus domum domini extruendi, uobis est tempus ædes laqueatas in habitandi, domus hæc est deserta. Secundo pœnas enumerare iuxta legis comminationes transgressione promeritas: ut Dominus hic ait, multum seminastis & parum intertis, comeditis sed non saturamini, bibitis sed non inebriamini, induiminini & non calefitis, mercedem colligitis in saccum perforatum. Tertiò præscribit quid facere debeant lege reprehensi territiq;: sicut ait hic dominus, considite & laborate. Quartò bonum ijs promittit qui præcepta seruant: ut dominus hic ait, ero dexter & honorabor.

EVangelij officium est, primò resipiscentibus Dei gratiam promittere: sicut dominus hic ait, ero uobiscum. Secundo spiritum largiri per quem id efficere possis quod mandatum est: ut hic dicitur, spiritum eorum dominus sustitauit ut opus in domo Dei facerent.

EXempla secundum legem & Euangelion ueros pœnitentiæ fideiq; fructus proferentium: sunt tria eum ordinum sancti uidelicet Serubabel, Iosua, populus, In quibus aperte uidemus hominem non suis uiribus ac meritis iustificari & saluari, sed diuinam trinitatem in hominis iustificatione salutioneq; concurrere: ita ut nisi Deus per uerbum suum largiatur spiritum qui cogitet, dicat, faciat ad iusticiam salutemq; necessaria, iustus coram Deo saluusq; futurus sit mortalium nemo.

HAc usa est utitur utetur methodo diuina trias per omnes sanctos qui sunt fuerunt futuri sunt ab inicio mundi usq; in finem. Et nos igitur ut omnes scripturas ita concionem hanc eadem methodo partiamur in sex locos eosq; breuiter ordine scripturis explicemus.

SIc dominus exercituum ait. Populus iste dicit: nondum est tempus ædem domini extruendi. Itaq; factum est verbum domini per Hagæum Prophetam inquiens. Vobis est, o vos, tempus domos laqueatas inhabitandi: domus autem hæc deserta est.

Primus

PRimus locus est de tribus peccatis mortalibus & animaduertendis contra tabulam primam. Certum est Deum propter hæc tria peccata arguenda Prophetam hunc excusitasse. Quare sit utile quæ qualia quanta peccata sint exponere, ut omnes mortales similiter peccantes metuere Deum condiscant.

PRimum delictum contra mandatum secundum his uerbis exprimitur: populus iste dicit, non dum uenit tempus domum domini ædificandi.

Orditur ab ironia diuina Iudæorum ingratitudinem & blasphemiam reprehendens prouerbialiter. Vt enim concio maiorem fidem habeat magisq; ad resipiscendum peccantes moueat κατ' ἀνθρωποπάθειαν Deum uiuentem non se mortalem ait hæc uerba facere. Cum igitur ait (sic ait dominus exercituum dicens) significat etiam Deum minantem ideo timendum, & iratum ideo placandum, secundum legem & euangelion: quia non solum quicquid dicit fit & quicquid mandat existit, sed etiam timentes & sperantes duntaxat respicit: iuste Psalmo 33.

INgratitudinem notat his uerbis Deus: Populus iste. Sicut enim Paulus Tit. 2. requirit à christianis, ut propter CHRISTVM uenturum ad iudicium pie uiuant: ita requirebat Deus à Iudæis, ut propter CHRISTVM uenturum in carnem, secundum decalogum uitam agerent. Hæc obedientia debebatur liberationi ex AEgypto: propter quam etiam instituebatur gratiarum actio Psal. 81. Sicut obedientia christianorum debetur liberationi ex regno satanæ per CHRISTVM: Nimirum ut euangelij predicatio, sacramentorum usus, uita secundum Decalogum acta, nil aliud sit, quàm gratiarum actio christianorum pro beneficijs à Deo per CHRISTVM acceptis. Quemadmodum ergo uox הָעָם requirit obedientiam: ita pronomen זֶה δεικτικῶς notat ingratitudinem Iudæorum pridem è Babylone liberatorum: quæ liberatio uidelicet obedientiam ædificationis templi requirebat. Porrò tres ordines simul & ingratitudinis & blasphemiæ notari: lucet ex uerbo אָמְרוּ. Nullus ordo fuit unquàm tam diuinus, ut in illo fuerit atheus nemo. Proinde uerborum hebraïcorum הָעָם זֶה אָמְרוּ emphasin obseruare lucet ex eo quòd Deus ed non Homo nec sine collectione figuratéq; loquatur.

BLasphemiam notat Deus his uerbis: Nondum uenit tempus Domum dominum ædificandi. עֵת significat tempus de Aduentu CHRISTI in carnem præscriptum & certum: ut Da. 9 Hebdomadæ septuaginta præscribuntur. Christianis tempus certum aduentus CHRISTI ad iudicium non præscribitur: ait namq; diem aduentus sui ne angelos quidem in Cœlis nosse.

De hoc aduentu CHRISTI in carnem Iudæorum duplex fuit sententia: sicut inter eos qui uocantur christiani de aduentu CHRISTI ad iudicium dissentitur. Pij diuina promissione contenti per fidem semper aiebant בֹּא עֵת uenit tempus, hoc est erant tam certi CHRISTVM in carnem uenturum tempore præscripto ac si iam uenisset: perq; hanc fidem solam iustificati coram Deo uitam consecuti sunt æternam, licet CHRISTVM oculis non uiderint. Hinc Sacharias Hagæi socius dicebat capite nono, gaude Ierosolyma, quia rex tuus uenit tibi. Et omnes Prophetæ de CHRISTO uaticinantes in lingua sancta uerbis præteritis utuntur prò futuris: adeo certa fides est de promissione suo tempore complenda, ut Habacuc secundo fide iustum uiuere dicat. Velut christiani uerbo de aduentu CHRISTI ad iudicium contenti per fidem aiunt ut Paulus 1. Thess. 4. Nos qui uiuimus rapiemur in occursum Domino in aëra: & Phil. 3. Nostra conuersatio in cœlis est eccunde præstolamur dominum IESVM corpus nostrum clarificaturum. Habenti uerbum idem est mori & uiuere futurum & præsens: quià siue uiuimus siue morimur, per fidem solam promissionis domini sumus.

Impij contra uerbo fideq; carentes semper aiunt לֹא עֵת non est tempus: sicut 2. Pe. vl. CHRISTVM impij tardè uenturum ad iudicium ganniunt. Quemadmodum autem dicere בֹּא עֵת est corde credentes ore confiteri CHRISTVM in carnem uenturum, nosq; à peccatis & morte liberaturum iuxta promissiones ita dicere לֹא עֵת est corde non credentes

Regional-bibliothek Neubrandenburg
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1869415310/phys_0011
Mecklenburg Vorpommern

ore negare CHRISTVM in carnem uenturum. Hic autem sermo contrarius occasio fuit discordiæ malorumq; omnium quæ Iudæis acciderunt: non enim posse Deum ferre discordiam in religione, experiuntur hodie Germani cras Itali. Porrò sicut is qui natus è carne semper eum qui natus é spiritu persequitur: ita semper est paratus homo spiritualis ad ædificandum domum Domini, sicut homo carnalis ad destruendum. Vt ergo discernetur arbor bona à mala internosa: dicit Hagæus impios sui temporis dixisse, nondum est tempus domui domum ædificandi, pios contra dixisse, tempus est Domini domum ædificandi. Hodie pij suadent & locum & ministerium uerbi conseruari, impij dissuadent. Est enim domus Domini non solum locus in quo docetur uerbum, sed etiam is qui uerbum audit, & in quem per fidem spiritus sanctus uenit eiusq; cor possidet: ut ædificare non solum est locum uerbo struere, uerum etiam docere uerbum, per quod homo fit ædes Dei, Paulo teste Ephe. 2. Vt igitur Iudæi credentes in CHRISTVM uenturum, haberent opera bona, quibus fidem suam declararent, præscribit illis ædificationem templi, in quod CHRISTVS uenturus sit: aitq; illos per Dei spiritum dicere, uenit tempus ædificare domum Domini. Quod porrò nil aliud dicere sit, quàm omnia consilia dicta facta Iudæi credentis propter CHRISTVM uenturum in hunc uelut scopum esse dirigenda, ut templum uerbiq; ministerium floreat quàmmaximè. Exemplum Dauid unus instar omnium Iudæorum dicens Ps. 27. Hoc unum petij à Domino. Et hodie uerè christiani semper dicunt, tempus est Domini domum ædificandi: suntq; tam alacres ad dandum uerbi ministris Iudiq; magistris quo conseruentur, quàm Sachæus Lu. 19. & illæ mulieres Lu. 8. ad dandum CHRISTO & apostolis uitæ necessaria. Semper uox læticiæ personat in tabernaculis iustorum. Paulus magna cum religione Domini cænam uult celebrari. Quid non boni libenter hodie faciunt christiani, tanquàm cras morituri? Siquidem possidentes nõ possident quod habent, hoc uno contenti, quòd uerbum habent æternæ salutis, per quod tam dites sunt, ut cum Assapho dicant ad Deum uiuum: sitæ habeo, nec cœlum nec terram curo. Ex quo clarius fulget quàm sol hoc prouerbium impiorum antichristorum Hagæi tempore fuisse לֹא עֵת

בֹּא עֵת בַּיִת יְהוָה לְהִבָּנוֹת Quid enim aliud est dicere, non tempus uenit Domini domum ædificandi. quàm Iudæos non credentes CHRISTVM uenturum in carnem dicere, ideo nec tempus nec opus esse templum CHRISTO condere uenturo, quia unum sit quicquid de CHRISTO uenturo Deus locutus sit. Vt hodie qui non putant ecclesias Dei scholasq; trilingues conseruandas, reipsa CHRISTVM & omnia quæ de iudicio dicuntur extremo negant. Erat autem necessum extrui templum non solum in quo sacerdotes Leuitici docerent CHRISTVM in carnem uenturum, sed etiam in quod CHRISTVS ueniret & Prophetias spiritualiter ac corporaliter adimpleret. Dicit enim Iesa. 2. de Sione lex exibit: quod ipse compleuit Lu. 24 Incipite Ierosolymis. Et CHRISTVM oportuit in hoc templo dicere, soluite templum hoc & reficiam id triduo, hoc est mori & resurgere Ierosolymis: sicut aiebat Lu. 13. non potest mori Propheta nisi Ierosolymis. Quõ uerò magis optarant id tempus exoriri pij, teste Psal. 102. dicente, tempus est, tempus est, hoc magis negabant impij tempus esse Domini domum ædificandi: significatumq; est hoc impiorum prouerbio (Nondum est tempus Domini domum ædificandi) Iudæos Euangelion CHRISTI uenientis audituros non esse. Quoniam ergo CHRISTVM oportuit in hoc templum uenire promissionesq; implere corporaliter & spiritualiter: cum dicit (iste populus ait, nondum est tempus Domini domum ædificandi) non solum condemnat hoc prouerbium blasphemum contra tabulam primam & aduentum CHRISTI primum, sed etiam mortales omnes propter aduentum CHRISTI secundum, à transgressione mandati secundi puto à malè loquendo de uerbi ministerio dehortatur. Hac de peccato contra secundum mandatum primo: Nunc de secundo.

SEcundum peccatum contra mandatum primum exprimit uerbis his (Vobis est, o uos, tempus domos laqueatas inhabitandi) notatq; omnipotens Deus miserorum Iudæorum & ingratitudinem & auariciam parricidialem. Sicut enim pronomine (uos) ingratitudo: ita uerbis his (Vobis est tempus domos laqueatas inhabitandi) auaritia radix omnium malorum: notatur.

אַתֶּם (o uos) Eadem ironia dicitur ab omnipotente qua supra dixit הָעָם הַזֶּה populus iste: notaturq; obliuio liberationis ex Babylone, quæ gratiarum actionem & obedientiam decalogo respondentem exigebat: quicquid de ingratitudine & obedientia supra dictum est, hic repeti possit.

בַּיִת domus & habitationem ipsam, & rem familiarem significat.

סְפוּנִים

סְפוּנִים tectis. Santes Hebraicè doctus reddit, à סָפַן tegere. Quæ uox peccatum maius efficit, dum ædem Dei tectam esse negat. Græci domos laqueatas & cænicularias κοιλοσταθμοὺς adpellant: in quibus uideliceet deliciari solitum. Quæ causa finalis domuum laqueatarum exprimitur uerbo לָשֶׁבֶת inhabitare uel inhabitandum. Est enim inhabitare non simpliciter incolere domum, sed domum ac rem familiarem habere pro Deo cui fiditur ita ut ille dis aiebat Lu. 12. Gaude mea anima, quia multa bona habes. Id uocat Ps, 62 Cor ad diuicias ponere. Et CHRISTVS eiusmodi possessores iudaicos domuum laqueatarum uulpes habentes foueas adpellat: sunt enim huius sæculi filij prudentiores ad domos ac res parandas quàm filij lucis, & diabolos hospites quàm angelos habere malunt. Sed heu mundus atheus & breui periturus igne finem hanc ædium suarum magnificarum habet. Siquidem mundanus homo non ideo struit domum laqueatam, ut in ea uelit cogitare, dicere, facere, quæ decalogus præcipit, sed ut inanem gloriam aucupetur, & Deos colat alienos: teste Ps. 49 Hoc cor eorum ut domos habeant perennes, & nomen eorum in terris sit illustre. Nec rem in hoc parat superbus ut uerbi ministros, linguarum doctores, christianos pauperes, sustentet, Verum ut seruiat Deo suo uentri: sicut epulo diues apud Lucam mirus Euangelistarum & pauperum contemptor fuit, abdominis autem sui longé omnium studiosissimus.

Ergo uerbis his לָשֶׁבֶת בְּבַתֵּיכֶם סְפוּנִים ad inhabitandum ædes laqueatas, expingere Deum uelle auariciam iudæorum epicureorum, ita ut denotet illos auaros & immisericordes epicuros agere, nedum idolatras atheos suum uentrem ac rem pro summo bono colentes lucet ex uerbis his: Vobis est tempus. לָכֶם עֵת Vobis est tempus, ideo dicit ut reprehendat τὴν πολυπραγμοσύνην in ædibus proprijs Decalogo contrariam, hoc est auariciam ecclesię pestilentiam & reipublicæ damnationem. Emphasis est in uoce עֵת significans misellum terrę puluisculum plus temporis Mammonę quàm Deo impertiri. Non est quidem malum per se domum habere laqueatam & diuitem esse: Diuites autem in domibus laqueatis aduersus Decalogum uiuere, ministros uerbi contemnere, pauperes deridere, hoc demum est diabolum esse, & in tartaro degere. Mundum autem uniuersum nil aliud esse, quàm oculorum & carnis concupiscentiam & superbiam bonorum, testatur 1. Io. 2. Sed addit Ioannes mundi concupiscentiam & superbiam ex Deo non esse: nimirum docens omnipotentem auaros epicuros non resipiscentes horribiliter extinguere uelle. Quod sanè confirmat oraculum ad diuitem Lu. 12 dicens: Stulte hac nocte animam tuam auferent ex te, quæq; parasti cuius erunt? ac diuitis exemplum Lu. 16. quod de pœnis æternis diuitum atheorum Ps. 49 canit, hoc uerum esse testatur. Proinde cum dicit (Vobis est o uos tempus domos laqueatas inhabitandi) iudæorum ingratitudinem agentium in domibus laqueatis idolatriam epicuream ideo condemnat, ut omnes gentes á tali peccato contra mandatum primum mortale deterreat atq; dehortetur. Hæc de secundo peccato contra mandatum primum: nunc de tertio.

Tertium peccatum contra tertium mandatum exprimit his uerbis: Domus hæc deserta est: notatq; iudæorum & ingratitudinem & neglectum templi rerumq; ad templum necessariarum, ut scholarum. Etsi namq; בַּיִת domus hic duo significet: Primò locum in quo uerbum Dei sonat: dein auditorem uerbi in quo per fidem spiritus Dei sanctus agit: attamen facile dixerim Ludimagistros & scholasticos ideo nomine domus comprehendi, quia sine linguis & catechesi templorum ministri scripturas diuinas tractare fœliciter nequeunt. Placet mihi Lubecensis ecclesię mos, uerbi ministros è ludo literario uocantis. Expedit reipublicę CHRISTI seruos esse doctos linguarum, Ac sicut lucet ex hoc Dei uerbo (ubi mentionem fecero mei nominis ibi ueniam ad te) Deum loco delectari, in quo uerbum sonat: ita placere Deo quoq; auditores uerbi testantur nomina christianorum à nobis ecclesiæ Lubecensi dedicata. Idem iudicium est de linguarum doctoribus atq; studiosis. Quoties ergò suadere uolumus ut templa curentur, aut in eos inuehi Dei uerbo qui templa negligunt despoliantue, per CHRISTVM non excludamus studium linguarum in cruce roseo CHRISTI sanguine consecratarum. זֶה hæc, adnotat quidem hypotyposi Deum loco in quo docetur ita delectari, ut ecclesiam uerbo natam atq; educatam, ideo uocet Ps. 68. נְוַת בַּיִת decus domus, quia nil magis decorat mundum, quàm ecclesia Dei: sicut nil magis domum ornat quàm uxor pia. Sed notat etiam ingratitudinem iudæorum è Babylone liberatorum negligentem rem Deo longé omnium gratissi-

gratissimam. Quemadmodum enim Deum unicè delectari loco in quo docetur, ex eo quoq; fulget quòd CHRISTVS & Paulus in templis & scholis docuerunt. Sic Deum uehementer offendi si nec locus in quo doceatur extruatur, nec in loco dedicato curetur ut ritè doceatur: Primum lucet è uoce חֲרֵב deserta, dein ex eo quòd CHRISTVS hoc templum à Iudæis refectum, sed traditionibus humanis profanatum, non solum uocauerit speluncam latronum Matth. 21. sed etiam loco ex Esaiæ 56. de sumpto reformarit, Id est Dei uerbum in illo docuerit. חֲרֵב desertum & incultum locum denotat. Ex quo perspicuum est domum hanc esse desertam, esse, non modo locum in quo doceatur non extrui nec ut ritè doceatur curari, sed etiam linguarum magistros & uerbi ministros negligere, debito salario fraudare, doctrinam eorum abnegare, iubere abire, ut hoc sæculo fit. Quàm ministerij sortem ac miseriam in mundo desertoribus ecclesiæ pleno caput nostrum CHRISTVS expertus est cum diceret: Filius hominis non habet ubi caput reclinet. Cuius exemplum imitari pij debent, ideoq; non ringi dum uident se negligi spoliariue, quia sicut ante CHRISTI aduentum primum diabolus egestate uerbi ministros ideo uexauit, ut prophetias extingueret, teste Malachia: sic ante CHRISTI aduentum secundum ipsemet dixit nullam charitatem in mundo futuram. Enimuerò si CHRISTO das quod egenti ministro das, sicut ipsemet ait, quod minimo ex meis fecistis mihi fecistis: sequitur eum qui ministerium negligit & ministris debitum negat, non solum peccare contra tertium & septimum mandata, sed etiam ut hostem Dei & CHRISTI luiturum. Horsum decalogi comminationes exemplaq; ob contemptum ministerij sacri punitorum. Terribilis uox erit in extremo die cunctis ministerij desertoribus: Ite maledicti in ignem æternum, quod enim minimo ex meis non fecistis, id mihi non fecistis. Cum ergo dicit omnipotens Deus (hæc domus est deserta) hypotyposi grauissima non solum iudæorum auarorum τὴν ἀκηδίαν in re diuina curanda reprehendit uidelicet ut declaret se duriter in eos animaduersurum, qui ministerium negligunt, ministros non iuuant, aut debita mercede fraudant, doctrinam eorum negant, abire iubent, uerum etiam ut omnes christianos similiter peccaturos, ideo deterreat atque dehortetur à transgressione tercij mandati, quia secundum eandem comminationem & iudæi & gentes præuaricantes affliguntur.

Hæc de tribus peccatis mortalibus contra tabulam primam breuiter & in hoc dicta sint, ut sciamus Deum ideo per hunc Prophetam hæc tria uicia capitalia in pseudoiudæis reprehendisse, ut eadem concionatores noui testamenti reprehenderent in pseudochristianis acriter. Non enim maiora peccata fieri possunt ab hominibus, quàm peccata contra tabulam primam. Sed obseruandum est diligenter Hagæum non unum ordinem sed tres simul horum criminum accusasse: quò uidelicet conscientias omnium ex æquo perstringens ad Dei timorem omnes inflammaret. Sermo dei non affectus noster carpere debet: nec affectus sit humanus appellandus, qui uerbo Dei nititur. Itaq; trium horum uiciorum acerrima reprehensio non solum in ecclesia Dei sonet perpetuò, uerumetiam ita sonet, ut omnium peccata iudicemur ex æquo taxare: nec alienorum duntaxat uicia carpendo nostratibus idem facientibus occasionem demus aliorum tantum peccata criminandi, & à proprijs nunquàm resipiscendi. Nunc de quinq; pœnis trium mortalium peccatorum, iuxta legis comminationes.

Proinde sic ait Dominus exercituum: Animaduertite vias vestras. Multum seminastis: et parum infertis. Comeditis: sed non saturamini. Bibitis: et non inebriamini. Induimini: et non calefitis. Mercedem colligitis in saccum perforatum.

Secundus locus est de quinq; pœnis trium peccatorum mortalium contra tabulam primam: quo Deus omnipotens cunctis iudæis & gentibus per os suum Hagæum significat tabulæ primæ transgressores quinq; Deos alienos habere (fructum, cibum, potum, uestem, mercedem) quibus fidant quidem sed qui propter Dei & CHRISTI decalogi & promissionum contemptum, illos hic turbent & alibi (ni resipiscant) Damnent æternum.

Prima uerbis his exprimitur: Multum seminastis, & parum intulistis. זֶרַע semen, complectitur & sementem & plantationem: Ge. 1. Non sine labore deum mortalibus panem è terra dare uelle, testatur Ps. 104. inquiens:

מַצְמִית עֵשֶׂב לַעֲבֹדַת הָאָדָם לְהוֹצִיא לֶחֶם מִן הָאָרֶץ׃

crescere sinit herbam per cultum hominis, ut educat panem é terra.

Pij laboribus addunt preces, roganiq; Deum in nomine CHRISTI ut ideo sinat agrum fertilescere,

re, quò libere possint uel linguis & uerbo propter CHRISTVM predicandum studere, uel opera suæ uocationis in scripturis expressæ obire. Accepto fructu per laborem & orationem, utuntur non solum pro domo sua & republicâ, sed etiam pro ecclesia, id est alendis linguarum magistris, uerbi ministris, scholasticis, fidei domesticis: ut in lege propterea cauebatur, ut primiæ decimæq; Leuitis & fratribus egenis darentur. Tali fide & charitatæ fructibus utentium præmia sunt duplicia. Primum exprimitur Ps. 112. Dispersit & dedit pauperibus: iustitia eius immortalis est. Alterum Matth. 25. Ite benedicti in uitam æternam. Hoc nimirum est, quod ait Propheta זְרַעְתֶּם הַרְבֵּה וְהָבֵא מְעָט seminastis multum & intulistis: Quid enim est aliud hoc sensu, multum seminare & inferre, nisi per fidem & charitatem non solum hic opulentè spirituali fructu benedici, sed etiam uitam æternam ex tali semente metere? Sicut hanc quoq; sententiam confirmat dicens Gal. 6. Qui spiritu seminat, de spiritu uitam metet.

Contra desertores ecclesiæ faciunt ex fructu Deum: sicut Lu. 12. CHRISTVS parabola testatur inquiens. Erat diues cuius ager dum multum fructum attulisset inquit: Demoliar horreum meum & maius faciam ut in id quicquid creuit accumulem, & dicam animæ meæ, gaude nunc anima mea, quoniam habes multa bona in multos annos. Tales idolatræ nec petunt à Deo πρῶτα τὰ ἄλφιτα nec impertiunt aliquid magistris, ministris, scholasticis, domesticis fidei, secundum legem charitatis. Ac propter hanc auariciam hic & alibi damnantur. Primum enim hic ad illos oraculum mquit Lu 12. Stulte hac nocte animam tuam ex te auferent. Deinde audient in die iudicij Math. 25. Ite maledicti in ignem æternum. Atq; hæc auariciæ debita merces ἐμφατικῶς aduerbio מְעָט parum exprimitur. Nimis enim parum intulit de multa semente, qui propter inuidiam tantum & odium proximi seu desertionem Magistrorum, ministrorum, scholasticorum, fidei domesticorum, nil intulit hac in uita nisi iram Dei & in alia gehennam: quam perditionis messem Paulus etiam describens Gal. 6. ait. Qui carne seminat, de carne metet perditionem.

Cum ergo dicat זְרַעְתֶּם הַרְבֵּה וְהָבֵא מְעָט seminastis multum & intulistis parum: non solum docere uelit simpliciter, multam facere sementem & parum ὀπωρίζειν decerpere fructus pœnam esse peccati iuxta illud Leuit. 26 si non audieritis me, terra fructum suum negabit. Sed etiam in ritu sementis plantationisq;, ideo peccata iudæorum contra tabulam primam affecta diuinitus significat, ut omnes gentes similiter negligentes magistros, ministros, scholasticos, fidei domesticos, hoc exemplo discant, quicquid fructus ecclesijs, scholis, pauperibus subtraxerint, id terram hic, & ignem alibi deuoraturum.

SEcunda pœna uerbis his exprimitur: comeditis & non saturamini. אֹכֶל esca, quicquid à Deo conditum ut ab homine mandatur, significat. Edere cibos quoslibet omni tempore (est enim Domini terra) nec malum nec prohibendum est: teste Paulo. 1. ti. 4. Etsi uerò per esum cibi uetiti mors omnes homines inuasit: tamen cibus ad sustentationem uitæ mortalis conditus est: hinc ait. Ge. 1. לְאֹכֶל Ac quoniam Deus escam dat omni carni: Psaltes adeò laudat omnes creaturas quòd à Deo cibum petant, ut etiam leunculos rugiendo & coruos inuocando cibum à Deo petere canat. Ergo filius & hæres Dei, nullo die cubitu surgit, nisi prius ideo petierit à Patre cœlesti panem cottidianum, ut expers uentris curæ damnosæ, possit liber uerbo Dei CHRISTO studere, & opera suæ uocationis obire. Porrò quod obuenit cibi pijs bifariam utuntur: Primum ad mortalitatis huius recreationem atq; conseruationem, iuxta illud Ps. 104. Panis cor hominis confirmet. Deinde ad recreandum atq; pascendum, uerbi ministros, linguarum professores, scholasticos egenos, fidei domesticos, iuxta illud Esa. 58 Frange panem tuum esurienti. Sine tuum panem trans Mare ferri, dicit Eccle. 11. O beatum cibo sic utentem: præmium namq; accipit is saturitatem eam, de qua CHRISTVS Mat. 5. Beati qui esuriunt iusticiam, quia saturabuntur. Vult CHRISTVS nos docere, ea corda sola in terris saturari, quæ plus Dei uerbo quàm pani cottidiano student. Decq; talibus Hagæus omissa negatione dicere possit אָכַלְתֶּם לְשָׂבְעָה אֵין comeditis ad saturitatem. Siquidem hæc cordis saturitas spiritualis ingentia bona cum huius tum futuræ uitæ secum Dei filijs affert. Primò caret ille satur inani cura uentris & omnibus uitæ necessarijs abundat, iuxta promissionem Matthæi sexto factam, ita ut modicum iusti præferatur magnis opibus multorum impiorum Ps. 37. Deinde benedictus ille satur cum ijs quos pauit, in extremo die CHRISTVM audiet dicentem. Venio in regnum patris mei: quia esuriui & me pauisti. Adeo uerum & utile dictum est illud CHRISTI: Facite uobis amicos de iniquo mammona, quæ uos in æterna tabernacula recipiant.

Eas

Eæ autem ecclesiæ desertores coruis & leonibus immaniores cibum à patre non petunt, sed colunt אֵכֶל pro Deo: sicut dives Lu. 12. Faciens è cibo Deum alienum secundum inquit, ede nunc anima mea. Tales sancti uentris Dei cibis abutuntur bifariam. Primum aiunt epicuri de grege porci Esa. 28 Edamus, cras morimur. Exemplum dives epulo, cuius Deum Lucas expingens ait, indies uixit lautè. Deinde non recreant alumq; uerbi ministros, linguarum magistros, scholasticos egenos, fidei domesticos: Vt dives Lazarum de micis cadentibus à mensa cupientem saturari non pauit. Sic abutentium cibis per incredulitatem & neglectum ecclesiæ merces est, non saturari, iuxta illud Ps. 34. Diuites esurient & egent. וְאֵין לְשָׂבְעָה & non ad saturitatem, affert secum poenas spirituales & corporales hic & alibi. Qui non diligit fratrem ex Deo non est. 1. Io. 3. Ecclesiæ desertor immisericors traducitur à sanctis omnibus, uelut canis inuidus, Solomonis uerbis dicentis Pro. 23. Non comede panem cum inuido, nec opta cibum eius: quia sicut quis ponit mensuram in anima ita ipse dicet tibi, comede & bibe: sed mens eius non est tecum. Quos comedisti cibos euomes: & pulchros sermones tuos perdes. Obnoxius est talis iræ Dei mortiq; subitaneæ, iuxta illud Lu. 12. Stulte hac nocte animam ex te auferent. In extremo die audiet illud horribile dictum Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum. Psalmus 49 horribilius inquit, tales porcos a diabolo sagnatos, in tartarum iacituros, & à morte uelut oues depastum iri. Hoc tandem est nimis uerè dictum אֵין לְשָׂבְעָה

Cum ergo dicit: comedetis & non saturabimini: non solum docere uelit, iudæos ecclesiam deserentes, propter incredulitatem & neglectum ministrij Dei, famem cum animæ tum corporis passuros, iuxta illud Leuit. 26 Si me non audieritis, comedetis & non saturabimini. Verumetiam hoc exemplo cunctas gentes admonere fidei & charitatis Deo & ministerio debitis, ne uidelicet propter incredulitatem & neglectum ministrij panis memoratis hic & alibi torqueantur.

TErtia pœna uerbis his exprimitur: bibitis & non inebriamini. שָׁבַר inebriatus est: à quo sicera, potus omnis factitius qui potest inebriare. Potum a Deo petunt — omnes filij Dei. Matth. 6. Si potus obtingit eo secundum uerbum fidei charitatisq; utuntur, propter CHRISTVM & ecclesiam. Corporis tristiciam uino pelluni, iuxta Ps. 104. Vinum cor hominis lætificet. Valetudinis gratia uinum bibunt: ut Paulus 1. Ti. 3. præcipit, utere uino modico propter stomachum. Reficiunt potu quicquid ad ecclesiam pertinet: siquidem CHRISTO Matth. 10. placere uident eos, qui uel calicem aquæ frigidæ discipulo dant. Vinum & sicera tristibus largiuntur, ut miseriæ suæ obliuiscantur, iuxta mandatum Pro. 31. Qui uino siceraq; utuntur sic in fide & charitate, de ijs dicit Hagæus שְׁתֹּ֣ו לְשִׁבְרָ֔ת bibitis ad ebrietatem: nam hi per usum potus legitimi commoda quoq; percipiunt a Deo præscripta. CHRISTVS in hac uita mercedem ei promittit qui potum christiano dat Matth. 10. In die iudicij dicet ad talem Matth. 25. Ite in uitam æternam, quia sitiui & dedisti mihi bibere. Hæc nimirum sitis beata Matth. 5. predicatur: & a Paulo Eph. 4. præcipitur ebrietas haec spiritualis.

Econtra desertores ecclesiæ potum a Deo non petunt, sed faciunt Deum ex potu: sicut dives Lu. 12. Bibe nunc anima mea. Hic tertius Deus ecclesiæ desertarum uocatur ebrietas: Estq; insania uoluntaria ferens in animo conscientiæ facem extinguere uino siceraq;. Verbo potius Dei spirituq; restinguendam. Horsum illa uox Epicurorum. Esa. 29. Bibamus, cras morimur. Ebrietas est magna causa prauricationis totius Decalogi: uereq; Paulus ait ἐν τῷ οἴνῳ ἀσωτίαν uertere possis ἀταξίαν. Principes & reges ebrij iuris obliuisci & causas miserorum peruertere dicit Solomon Pro. 31. Tantum abest ut contemptores uerbi ministros uino siceraq; reficiant, ut etiam Dei uerbum non putent esse Dei uerbum si Doctores uino siceraq; utantur: exemplum CHRISTVS uini potor adpellatus Lu. 7. Sed tales ad fidem non moueri posse licet abstemius sis ut Baptista: claret ex eo quod IESVS ait, Ioannes uinum haud bibit, & dixistis habet dæmonium. Verum quid impij potu recrearent membra CHRISTI? siquidem CHRISTVM ipsum pendentem in cruce potauerunt aceto: Psalmo 69. teste. Hinc meritò ecclesiæ desertores ebriosi pœnis cum temporalibus tum æternis affliguntur. Pro. 31. diatur: Vbi uæ? ubi dolor? ubi lis? ubi querela? ubi uulnera sine causa? ubi rubicundi oculi? ubi compotatur. Ebriosi ministrorum ecclesiæ desertores audient in die iudicij: ite maledicti in ignem æternum, quia sitiui & non dedistis mihi bibere. Atq; eiusmodi potissimum ab Hagæo reprehenduntur his uerbis שְׁתֹּ֣ו וְאֵין לְשִׁבְרָ֔ת nimirum quia calicem CHRISTI non bibunt ipsi nec pro — pter CHRISTVM sitim patientes, uino siceraq; refoallant. Nec mirum sit ob id compotores impios, quò magis bibunt eò magis sitire. Cum ergo dicat

(bibitis

(bibitis & non inebriamini) docere uelit non solum penuriam omnis potus adeòq; illam sitim inexplebilem compotorum uidelicet æstum conscientię potu restinguere conantiũ, mercedem esse pœnamq; ministerij contempti, sed etiam (ni resipiscant) pœnam maiorem sitimq; æternam secuturam: instar epulonis ditis Lu. 16. ob id ardentis in flamma, quia sitim Lasari non restinxit.

QVarta pœna uerbis his exprimitur: induimini & non calefitis לבש induere: a quo indumentum ἔνδυμα, uestimentum, quicquid Deus condidit ad tegendum corpus Adami præuaricatione corruptum: nam deus autor uestis simul usum docuit faciens Adamo περιζώματα Ge. 3. Quo exemplo docti pij uestem a Deo petunt: quod etiam CHRISTVS Matth. 6. præcipit. Nec interim media contemnunt per quæ Deus uestit: ut Pro. 27. dicit, oues te uestiunt. Vtuntur ueste secundum uerbum & fidem: ut Adamus in paradiso & Aheron in Leuitico. Secundum charitatem utuntur uestibus qui parent huic præcepto Esa. 58. Cum uideris nudum operi, hoc est propter CHRISTVM pannosos linguarum magistros, uerbi ministros, scholasticos moratos, fidei domesticos, amicos uesti. Iacob fecit Iosepho tunicam polimytam Ge. 31. Pater filio conuerso dedit uestem preciosam Lu. 15. Qui dat Christiano uestem propter CHRISTVM mercedem accipiet æternam: sicut Matth. 25. CHRISTVS ipsemet testatur inquiens, uenite in uitam æternam, quia nudus fui & me operuistis. Ex ueste nemo debet iudicari bonus aut malus. Viri boni uestis bona: uiri mali uestis mala. Daniel uates in purpura fuit sanctus. Epulo diues in purpura fuit nequam. In sordido pallio sæpe latet sapientia: in sordidato Lasaro fides erat angelica. E quibus sit perspicuum, induere & calefieri, esse, propter fidem & charitatem adeòq; usum uestium iuxta uerbum Dei tam bona tamq; calente spiritu sancto conscientia esse, ut non cures quibus induare uestibus, modo uestem habeas nuptialem, in qua sola CHRISTO places. Nec enim in nouo testamento uestem esse quæ christianos reddat CHRISTO gratiores quàm uestis illa nuptialis, hoc est Fides Charitas spes: quibus tanquam acupictis uestibus induitur sponsa CHRISTI: lucet .e Psal. 45. son ante. Omnis gloria filiæ regis ab intus. De talibus ergo dixerit Hagæus לבוש וּלְתֹם לוֹ induimini & calefitis.

Ediuerso desertores ecclesiæ uestem a Deo non petunt, sed faciunt Deum ex ueste: sicut diues purpuratus Lu. 16. Qui uestes induunt prodigiosè coloratas quasiq; crudeliter uulneratas in hoc ut alijs digniores aut formidolosiores adpareant, cum intus & in cute sint fæminę nil habentes uiri nisi quòd fortiter audent decalogum præuaricari & quicquid ad Euangelion CHRISTI spectat persequi, similes mihi uidentur laruatis qui uolunt alij uideri quàm sint, imò diabolis se transformantibus in angelos lucis. Tales simiæ non uestiunt Dei ministros, professores linguarum, scholasticos nudos, pauperes christianos, propter CHRISTVM: imò CHRISTVM ipsum non solum uestibus exuunt & sine uestibus crucifigunt, sed etiam ante faciem crucifixi pro uestibus raptis ludunt: quod ipsemet deplorat Ps. 22. dicente, diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam iecerunt sortem. Sed ij qui proximo uestem detrahunt ut ipsi splendeant, uicissim expoliabuntur, inq; tenebras nouissimas conijcientur, in quibus fletus et stridor dentium est. Atq; de ueste sic abutentibus præcipuè loquitur Hagæus inquiens לבוש וְאֵין לְתֹם לוֹ induimini & non calefitis. Verè friget is qui non calet spiritu sancto, per quem uestibus rectè utatur, licet omnibus lupis & uulpibus tectus sit. Cum ergò dicit induimini & non calefitis: uelit docere, Iudaicos ecclesiæ CHRISTI desertores ob idolatriam prædictam non solum omnibus uestimentis suis conscientiæ damnatæ frigus exitiale repellere non posse, uerumetiam pro eo quòd CHRISTVM & suos frigere siuerunt nec uestierunt, æternum ignem loco mercedis habituros, quò uidelicet diu satis calefiant: teste CHRISTO Matth. 25. dicturo in die iudicij, Ite maledicti in ignem æternum, quia nudus fui & me non uestiuistis.

QVINTA pœna uerbis his exprimitur: mercedem colligitis in saccum perforatum. שָׂכַר est mercari, locare, mercede conducere: à quo μισθός merces ab ære merendo. Censeo significare, quicquid pecuniæ commodiq; é studio quouis percipitur.

Qui CHRISTI sunt mercedem à Deo petunt, nempe demensum illud Pro. 30. quò CHRISTO seruire & opera suæ uocationis sine priuato studio pecunię queant obire. Vtuntur pij trium ordinum mercede secundum mandatum primum, Dei promissiones, fidem. 1. Cor. 9. Qui seruit Euangelio, de Euangelio uiuit. Ro. 13. Magistratus de suo teloneo & tributo uiuit. Lu. 3. Miles stipendio suo contentus est. Secundum charitatem utuntur impertiendo de sua pecunia seu mercede, linguarum magistris, uerbi ministris, scholasticis ingeniosis, christianis egestosis, iuxta illud: facite uobis amicos de iniquo mam

mond. Exempla sunt: Esa. 25. mercatores Tyros de male partis bonis uerbi ministros & christianos alturos uides. Ac. 2 Christiani res suas fratribus impertiebant. Lu. 21. Paupercula mulier quem habebat obulum in gazophylacium ponebat. Gal. 6. Præcipitur ut is qui uerbum audit omne bonum impertiat ei qui uerbum docet. Non est temporale datum cum æterno accepto conferendum 1. Cor. 9.

צְרֹר ligamen à צָרַר ligare: saculum aut crumenam thesauri seu pecuniæ repositorium non ideo pro bibuit CHRISTVS Lu. x. quod sacculus per se malus esset (tulit enim Iudas apostolus CHRISTI sacculum Io. 13.) sed ne sæculo pecunia referrò considerent. Itaq; CHRISTVS non uult suos nullum sacculum aut thesaurum habere, sed uerbum plus diligi uult quam saccum aut thesaurum, adeòq; propter uerbum Dei CHRISTVM & saccum & thesaurum relinqui, iuxta illud Matth. x. Qui diligit aliquid plus quàm me, non est me dignus.

בְּקֹעַ pertusum à בָּקַע perforare. Saccum non perforatum habet is qui sua per orationem & laborem parta meræde contentus est, iuxta illud 1. Ti. 6. Habentes uictum & amictum ijs contenti simus. Ex quo perspicuum est, colligere merædem in saccum non perforatum, esse, non solum oratione & operibus uerbo præceptis merædem parare, sed etiam parta meræde pro se & alijs secundum uerbum fidei & charitatis uti: semperq; magis de ecclesia Dei & futura uita quam de sæculo & thesauro præsentibus sollicitum esse: quod etiam CHRISTVS Lu. 12. præcipit inquiens. Facite uobis sacculos qui non ueterascunt, thesaurum qui nunquàm in cœlis deficit, quem non potest attingere fur nec tinea corrumpere. Possem multos recensere locos quibus eorum præmia qui mercedem suam in saccum minimè perforatum colligunt, hoc est liberales sunt, exprimuntur: Verum quod maius præmium dari potest quàm thesaurum eorum nunquàm in cœlis defecturum?

Econtra desertores ecclesiæ merædem a Deo non petunt, sed ex meræde faciunt Deum, ut CHRISTVS Lu. 12. Vbi thesaurus tuus, ait, ibi cor tuum est. διὸ φιλοχρήματοι, personis ecclesiasticis nil larguntur, nisi lucrum inde sperent: ac ne uideantur illiberales, accusant ministros τῆς πλεονεξίας & munera negant accipere debere. Qui uerò à Dei uerbo recedit, diabolum audit dicentem, Matth. 4. Si me adoraueris omnia tibi dabo. Adorare diabolum & colligere mercedem conueniunt. Est enim mercedem colligere, nimis ad rem attentum esse, nec ideo cumulare thesaurum ut ministros, professores, studiosos, christianos adiuues, sed ut habeas in sacco quod tam beatum reddat, ut nec Dei nec hominum egeas tuoq; abdemum soli tuisq; pullis uiuas. Obseruandum autem quia diabolus promittit omnia uerbi desertoribus ideo fiunt inexplebiles, ut ille disertus mundi filius inquit, auaricia infinita & insatiabilis nec copia nec inopia minuitur. Hoc nimirum est deos alienos habere. Ex. 20. Qui prohdolor idolorum cultus ex æquo tres ordines diuexat. 2. Pe. 2. ait ψευδοδιδάσκαλοι ἐν πλεονεξίᾳ πλαστοῖς λόγοις ὑμᾶς ἐμπορεύσονται, καρδίαν γεγυμνασμένην πλεονεξίας ἔχοντες id est pseudoprophetæ per auariciam factitijs sermonibus de uobis negociabuntur, cor exercitatum rapinis habentes. Pauper Iudas propter argenteos triginta prodidit CHRISTVM Matth 26. Esa. 1. Principes socij furum adpellantur. Cess. Domi. tam auarus fuit, ut e cloacis exigeret tributum: interrogatusq; cur id faceret, ait, lucri dulcis odor ex re qualibet. Ps. 73. Populus cò conuertitur & ut aqua uehemens illis accumulatur. Miles gens prodiga uitæ pro stipe dat animam. In quid uerò colligunt mercedem suam ecclesiæ desertores omnes? אֶל צְרֹר בְּקֹעַ in saccum perforatum. Est autem mercedem in saccum perfora tum colligere, non solum auari cor inexplebile esse, uerum etiam auariciam radicem malorum omnium esse corq; auari præcipitari in exitium, ut 1. Ti 6. Paulus testatur. Hinc pœnæ temporales ac æternæ sequuntur auaros ecclesiæ desertores. Eccle. 10. ait, qui pecuniam amat, pecuniæ nunquàm fit satur, & qui diuicias amat, nullam utilitatem ex ipsis percipiet. Qui fraudulenter agit cum ecclesiastica pecunia: nec dat quod debet ministris: instar Ananiæ fallacis & auaræ Saphiræ damnabitur Ac. 5. Quisquis abutitur suo talento seu non utitur in utilitatem ecclesiæ Dei, audiet in die iudicij Matth. 25. Tollite ab eo talentum. Vbi sunt omnes auari mortui? Ps. 45. ait in tartaro iacent, & a morte uelut oues depascuntur. Adeò frustra conturbatur & thesaurizat omnis homo: teste Ps. 39. Cum ergò dicit: colligitis mercedem in saccum perforatum: uult docere, quicquid corraditur ex incredulitate, nec in usum a Deo præscriptum expenditur, id & hic ab exercitu iræ Dei consumptum iri, & alibi possessori suo pabulum ignis æterni futurum.

Enimuerò neminem offendat quòd sensum horum uerborum מְשַׂכֵּר מִשְׂתַּכֵּר אֶל צְרֹר בְּקֹעַ ita reddiderim, colligitis mercedem in saccum perforatum: cum ad uerbum sic oportebat reddi, & qui se mercede locat, is se locat in ligamen (crumenam ligatam) pertusum

tu sum: ac si po neret illam in cru mena per tusa. Quemadmodum & sensum horum uerborum לִבְוּשׁ וְאֵין לְחֹם לוֹ ita reddidimus, induimini & non calefitis: cum ad uerbum ita reddendum fuisset, uestimentum & non ad calorem ei. Nec aliquis reprehenderit, quòd haec uerba זְרַעְתֶּם הַרְבֵּה וְהָבֵא מְעָט ad sensum ita reddiderim, seminastis mul tum & infertis parum: cum uerbum הָבֵא sit reddendum imperatiuè infer, ut ita sonet, seminastis multum & infer parum. Qui norunt linguam mirandam Dei mirandi non esse reddendam ad uerbum, sed ad sensum, mihi licentiam in transferendo condonabunt; nec ignoscere nolentibus melius transferre sit prohibitum.

POterat hic locus de quinq; pœnis ὡσανεὶ ἡ ἀπόδειξις pœnæ datæ quincuplex tractari τροφοποιικῶς ita ut dixerit aliquis locum de pœnis habere τὰ τροφοποιὰ πέντε quibus significetur impiorum, messem, cibum, potum, uestem, mercedem, hoc est quicquid habent, propter uerbi Dei scholarumq; contemptum, maledictioni subiectum esse, iuxta maledictiones legis expressas Leuit. 26.

CAeterum si quis dixerit fructum, cibum, potum, uestem, mercedem, significare dei uerbum, spiritum, dona: seminare, edere, bibere, induere, colligere, significare Dei uerbum docere, credere, per fidem spiritum & dona accipere: inferre, saturari, inebriari, calefieri, abundare, significare commoda temporalia ac æterna quæ uidelicet e Dei uerbo spirituq; percipiuntur: hæcq; omnia locis aptis scripturæ diuinæ probare queat: argumentum sit diues habiturus allegoriam hic longam texendi. Constat porrò iudæos semper fuisse Mosi quàm CHRISTI legis & operum quàm Euangelij fideiq; studiosiores. Vbi autem iusticia salusq; non fide sed operibus nec per CHRISTVM sed per Mosen quæritur, ibi iustus esse coram Deo saluariq; possit nemo. Iusticia namq; Dei per fidem in CHRISTVM absq; legis operibus Ro. 3. Si quis ergò uerbis his (seminastis multum & parum intulistis: comeditis & non saturamini: bibitis & non inebriamini: induimini & non calefitis: mercedem colligetis in saccum perforatum) ἀλληγορικῶς uelit docere significareq; iudæos antichristos ideo non peruenisse ad iustiaam et salutem optatam, quia non per solam fiduciam misericordiæ Dei in CHRISTO promissæ uerum legis operibus ac meritis propriis iusticiam salutemq; æternam parare studuerint, allegoriæ suæ confirmatorem habebit Paulum Ro. 9.

SEd hæc nimis satis fortasse de quinq; pœnis secundum legis comminationes tribus peccatis aduersus tabulam primam, hoc est desertoribus ecclesiarum atq; scholarum, hic & alibi debitis.

SIc ait Dominus exercituum: animaduertite uias uestras. In montem conscendite, lignum afferte, domum ædificate: in qua dexter ero, et honorabor: Dominus inquit.

TErtius locus obiurgatos trifariam & afflictos quintupliciter secundum legem: primò iubet ædificare templum in quod Dei gloria CHRISTVS ueniat: deinde præmia templum ædificantibus promittit. Vtq; magis ad templi structuram moueat, inquit שִׂימוּ לְבַבְכֶם עַל דַּרְכֵיכֶם ponite corda uestra super uias uestras: est enim Hebraismus, admonens considerare magnitudinem boni, quod sit obuenturum illis si templum condiderint CHRISTO uenturo.

הָר mons: significat hic libanum, è cuius cedris & Vrbs & ædes Dei refecta est. Scribit Iosephus per Sidonios ligna cedrina Ierosolymam ad structuram allata esse. Nec est uel mediocriter scripturæ peritorum qui nesciat, domum ædificare, non solum esse condere locum in quo doceatur, & res diuina fiat, sed etiam Doctores & ministros alere qui doceant, & rem diuinam in hoc faciant, ut populus CHRISTVM nosse discat, eiusq; aduentum expectet. Cum ergò dicit: in montem conscendite, lignum afferte, domum ædificate: non solum iubet é monte Libano ferre ligna cedrina, quibus templum Ierosolymitanum reficiatur, in quod CHRISTVS ueniat abolitoq; testamento ueteri nouum instituat, Verumetiam omnia procurare, quæ spectant ad templum hoc est Doctores & ministros liberaliter alant in hoc ut populum erudiant secundum legem propter CHRISTVM rem facere diuinam, & secundum euangelion in CHRISTVM credere uenturum. Ex hoc perspicuum ad ædis diuinæ

 struc-

structuram tria requiri. Primò locus à Deo per tres ordines præscriptus: ut Deus per Serubabelem, Iosuam, populum, elegit templum Ierosolymitanum, in quo CHRISTVS uenturus doceret. Deinde personæ a Deo propter CHRISTVM uenturum ad templi ministerium electæ: sicut Leuitæ ad templi ministerium solos Deus ita uocauit, ut Coritis Sacerdotum Leuiticum ambientibus tellus dehiscceret: & Vsias rex lepra percuteretur, uolens officio sacerdotum fungi. Postremò ut populus sacerdotibus obediat ita, ut in templo non solum Deo seruiat propter CHRISTVM uenturum, iuxta legem Mosi præscriptam Ex. XXV. sed etiam per fidem in CHRISTVM uenturum oret Deum, ut peccata condonet, liberet à malo præsenti, bonum det promissum: sicut templum etiam 3. Re. 8. fuit in hunc usum ordinatum à Deo per Solomonem regem. Hæc de præcepto caussáq; præcepti finali, nempe ut CHRISTO domus & in hunc finem extruatur: nunc de promissione.

DVo magna bona promittit ijs, qui dei templum ædificant, & in illo faciunt rem diuinam ritu prædicto. Nam pronomen בְּ in quo uel in eo, diligenter obseruandum est: significat enim Deum tam sanctè uoluisse, ut non in alio loco quàm à se præscripto sacra fierent, uidelicet in templo Ierosolymitano, ut Ex. 23. mandarit Iudæis masculis omnibus ter in anno Ierosolymis comparere, nempe in Aprili die Paschæ, in Iunio die pentecostes, in Octobri die scenopegiorum. Totum regnum Israëliticum est deletum propter contemptum templi Ierosolymitani.

PRimum bonum exprimitur uerbo אֶרְצֶה dexter ero, præsto, fauens, iuxta illud Ex. XXV Fac mihi sanctuarium in quo degam inter illos: è propitiatorio namq; de Cherubim super arca fœderis tecum loquar de rebus omnibus quas mandare uolo. Vt Deo nil maius, sic nullum maius donum est quàm Deum loqui nobiscum & omnia sua in CHRISTO nobis promittere. Cum ergò dicit: אֶרְצֶה dexter ero: uult promittere se uerbo uiuo lætificaturum ita pias mentes ut etiam magnas pro uerbo gratias acturi sint: instar Assaphi Ps. 75. canentis, gratias agimus tibi Deus gratias agimus tibi, narrabimus de mirabilibus tuis: quia nomen tuum prope est.

SEcundum bonum exprimitur his uerbis וְאֶכְבַּד & honorabor uel & glorificabor: à כָּבַד glorificare. Est autem honorare adeòq; honorari seu glorificare et glorificari, per uerbum uiuum auditoribus spiritum dare sanctum, per quem honorentur ac Deum honorent seu glorificentur, adeòq; glorificent Deum: sicut Ex. xx. quoq; promisit dicens, ubi mentionem fecero mei nominis, ibi ueniam ad te & tibi benedicam. Cum ergò dicit וְאֶכְבַּד uult promittere se, eos qui loco ritúq; præscriptis sacra faciunt in nomine CHRISTI uenturi, secundum promissiones exauditurum, & uoti compotes redditurum: sicut etiam 3. Re. 8. Solomon orauit. Plane uult idem ambabus Deus promissionibus quod hac una 1. Sam. 2. Qui me glorificat eum glorificabo.

ABsit ut hoc præceptum de templi structura promissionemq; structoribus factam ad nos haud spectare putemus. Nam etsi Iudaicum nil ad nos: & CHRISTVS Io. 4. ait, Nec in hoc monte nec Ierosolymis patrem adorabunt, sed in spiritu ueritatis. Quia tamen CHRISTVS τὴν κοινωνίαν hoc est communionem præcipit, uultq; nos conuenire propter uerbum & usum Sacramentorum: & Paulus ait 1. Cor. 14. κατὰ τάξιν πάντα γινέσθω ordine cuncta fiant: propter sanctificationem sabbati præceptum, officium trium ordinum christianorum arbitror unanimi consensu templum ac ludum exædificare, in quo uel ideo Dei uerbum ac linguæ docentur in utilitatem publicam à personis electis, quia sine certo loco & ordine bono, nil boni diu uel doceri uel fieri potest. Huic consensui promisit Deus & benedictionem & uitam æternam Ps. 133. Scholastici per Doctores linguarum animantur ad CHRISTVM in scripturis quærendum, & acquirunt iudicium audiendo. Trés ordines Dei uerbum audientes sentiunt Deum bene uelle sonantq; uerbo omnia salua esse. Credentes uerbo sacramentisq; utentes iusticiam & salutem æternam consequuntur. Hoc numirum est Deum in ædificata domo esse dextrum & honorari.

Veniamus ad Epilogum doctrinæ de lege seu de pœnitentia.

RESpicitis ad multum: et ecce parum. Quod in domum fertis: id exsufflo. Quamobrem Dominus exercituum inquit

inquit: quia domus hæc mea deserta est, vnusquilibet autem vestrum in domum suam currit. Quapropter cælum vobis rorem denegat, et terra fructum suum prohibet. Siccitatem vocaui super terram et montes, super frumentum, mustum, oleum, super omne quod terra producit, super homines et iumenta, super omne quod manus facit.

QVARTVS Locus uideri possit repetitio superiorum peccatorum contra tabulam primam, adeòq; pœnæ quincuplicis debitæ peccatis iuxta legis cõminationes hoc modo. Peccata tria uerbis his exprimuntur: respicere ad multum, quod est contra mandatum primum: sin hæc uerba (Domus hæc mea est deserta) repetitionem existimes horum uerborum (populus iste dicit, nondum est tempus domum Domini ædificandi) prævaricatio secundi mandati sit animaduertenda. Currere ad domum suam, quid est aliud quàm sabbatum profanare? His uidelicet tribus peccatis ait deberi pœnas quinq;: Prima uerbis his exprimitur, eæ parum: Secunda uerbis his, id exuflo: Tertia uerbis his, cælum denegat rorem: Quarta uerbis his, terra prohibet fructum suum: Quinta uerbis his, siccitatem uocaui super terram, montes, frumentum, mustum, oleum, homines, omnem terræ prouentum, iumenta, quicquid homines faciunt. Nec est dubium, quin hæc peccatorum & pœnarum repetitio fiat in hoc per Hagæum artificem prophetandi, ut non solum Iudæi magis ad resipiscendum templumq; ædificandum mouentur, sed etiam ut nos discamus pœnitentiam in ecclesia potenter urgere, nec Euangelion nisi pœnitentiam agentibus prædicare. Verum nos hanc repetitionem quasi nouam cõcionem de Lege seu de pœnitentia tractemus, ita ut prima tria peccata, dein tres pœnas deserioribus ecclesiarum atq; scholarum debitas enumeremus, atq; breuiter scripturis expliemus.

PRIMVM peccatum exprimitur his uerbis פְּנֹה אֶל רַבָּה respicitis ad multum: prima uerò pœna his uerbis וְהִנֵּה לִמְעָט & eæ parum. Verbatim ita reddendum sit: respiere (uestrum erat) ad multum, uel respiciebatis ad multum πρὸς τὸν ἐναμαγὼν. Est autem respiere ad multum, idem quod supra saccus perforatus, hoc est auarum & inexplebilem esse. Quando namq; cor Dei promissionibus credere non uult, non solum quicquid est in mundo expetibile pro Deo cõlit: sed etiam quò magis habet, eó magis aspia gaudet, pròq; Deo cõli uult: ut Dom. Cæss. uoluit deus appellari. Proinde Paulus Col. 3 recte dicit, ἡ πλεονεξία ἐστὶν εἰδωλολατρία, auaritia est idolorum cultus. Et 1. Io. 2. ideo uocatur ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν concupiscentia oculorum, quoniam oculus auari quicquid aspicit uel inuidet possessori, uel appetit habere. Ex quo perspicuum רַבָּה multum, idem esse quod CHRISTVS Matth. 6. uocat מָמוֹן id est diuitias, ab רָבָה multiplicare: quasi dixeris semper nimium & plus quàm egere possis habere cupere. Auarus Deo credere nolens, multa præsidia quærit aduersus omnia mala: Hinc sibi benedicit & Domino maledicit, ut Psalmus decimus ait. Quicquid ad Dei ministerium & scholas attinet, deridet atq; persequitur. Si posset uno obolo cunctos uerbi ministros, linguarum professores, scholasticos egentes, christianos pauperes, à fame & morte liberare, non sit facturus: minus habens misericordiæ quàm ille canis apud Lucam bulæra Lazaro delingens ab epulone dite neglecto. Quis talem bestiam amet? tota creatura tale portentum auersatur & odit. Quare Deus eiusmodi uiosissim horribili pœna flagellat. Hanc exprimit aduerbium מְעָט parum. Parum autem sit eri duo significat. Primò semper habendi cupiditate uexari & nunquàm satiari: quod uerè nullam è diuitijs utilitatem perapere est, ut ait Ecclesiastes. Secundò parui fieri à Deo & sanctis omnibus, mori nec secum aliquid auferre, perpetuò egere in tartaro: quas pœnas exprimit scriptura dicens 1. Io. 2, ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ πατρός ἀλλὰ κόσμου ἐστίν Concupiscentia oculorum non est ex Patre transitq;. Ps. 49. Tales sapientes etiam moriuntur ut stulti, bonaq; sua relinquunt alijs: Lu 16. Dis circumspicit in tartaro cupiens extinguere sitim in flamma, sed ne guttulam quidem inuenit perpetuò. Pœnas exaggerat aduerbium תַּבָּה eæ δεικτικῶς notans respicientes ad multum, significansq; eos inopiæ perennis meritò condemnari. Proinde cum dicit: respicitis ad multum, & eæ parum: docere uult, auaros ecclesiarum atq; scholarum de-

sertores, nec hic nec alibi requiem habituros, ut paucis uerbis Ecclesiastæ sexto prophetam exponam.

SECVNDVM peccatum uerbis his exprimitur וְהֵבֵאתֶם הַבַּיְתָה Quod fertis in domum. Pœna uerò secunda uerbis his exprimitur בְּנַפְתִּי illud exufflaui, uel (ut Santes) & sufflabo in eum: Qui reddit id exufflo, sensum uerborum sæculis omnibus adaptat. In domum ferre, est familiam parare, domumq; suam implere diuitijs studere. Quod studium rei familiaris per se malum non esse, lucet ex eo quòd Pro. 6 Pigri taxantur & formicas imitari iubentur. Malum est autem contra legem naturæ decalogumq; familiam parare. Est portentum hominis qui non solum de bonis in domum latis nil erogat Dei professoribus, ministris, scholasticis, pauperibus, sed etiam de bonis ecclesiasticis ditari studet. Talibus monstris Deus comminatur pœnam uerbo נָפַח insufflare expressam: est autem insufflare nil aliud hic quàm Ex. X A. uisitare iniquitatem. Frumentum illatum à muribus deroditur, à furibus aufertur, à uermibus comminuitur atq; dissipatur. Esculenta superflua non in usum præceptum erogata, non aliter corrumpuntur quàm illis cœlestis panis exordescebat, qui nimium collegerant aduersus Dei præceptum Ex. 16 Tota rei familiaris euanescit, dum ira Dei magnum habens collum insufflat. Non solum autem hæc ira durat in tertiam & quartam generationem, sed etiam post hanc miseriam impij desertores ecclesiarum & rapaces scholarum euersores tanquàm pulueres à facie Dei salutéq; æternadissipabuntur. Cum ergò dicit (Quod fertis in domum, id exufflo) non solum temporales bonorum temporalium calamitates ecclesiarum & scholarum desertoribus auaris & rapacibus comminatur, sed etiam pœnas æternas in fouea quàm Domini spiritus insufflat. Esa. 30.

EDiuerso pij domum ac familiam à Deo petunt. nec aliquid ferunt domum nec aliquid efferunt domo, contra Dei uerbum. Pro. 31. Mulier pia facit tunicam, quam mercatori uendat: manus eius pauperibus erogat. Mercator pius extremos ad indos currens & ultra glatialem Oceanum, haud sine corporis & rerum periculo merces aduehit patriæ commodas, bonaq; conscientia lucrum percipit ab ijs qui mercibus egent, nec simile periculum obierunt. Medicus bona conscientia munus accipit, teste Syracho. Verbi ministri spiritus sanctus etiam dare necessaria præcipit Gal. 6. Nec tales uicissim illiberales sunt erga ministros, professores, scholasticos, pauperes: sicut Ps. 112. ait, Dispersit pauperibus. Ergò ferentes in domum secundum uerbum Dei & in utilitatem ecclesiæ rursum aliquid efferentes, cum huius tum futuræ uitæ commoda percipiunt. Ps 37. ait: in caritate annonæ abundabunt, & tempore malo seruabuntur. Ps. 112. Iusticia eius immortalis est.

Obseruemus autem propheticum artificium in his uerbis: quamobrem Dominus exercituum inquit? ea formatæ namq; inter peccatum secundum & tertium posito, nec sua persona mortali, sed Dei uiuentis prolato: seu epilogo, sermonis de peccato secundo cum exordio sermonis de peccato tertio coniuncto significat, omninò calamitatum & temporalium & æternarum finem nullum futurum, nisi resipiscant, hoc est CHRISTO uenturo struant templum, inq; eo doceri uiuiq; curent secundum Mosi legem usq; ad CHRISTVM in templum uenturum.

TERTIVM peccatum exprimitur hac Antitheti grauissima: domus hæc mea est deserta, uestrum autem unusquilibet in domum suam currit. Pœna autem his uerbis: cœlum uobis rorem denegat, terra fructum suum prohibet, siccitatem uocaui super terram, montes, fructum, mustum, oleum, omnemq; terræ prouentum, homines, iumenta, quicquid manus facit.

חָרַב desolare & destruere. Domum Dei deserere, non solum Deos alienos colere, de uerbo Dei male loqui, uerbi ministerium haud iuuare, sed etiam quicquid ad linguarum & uerbi Dei studium pertinet, odisse, persequi, uastare, est.

In domum suam currere est, non solum mammonæ seruire studio summo, uerum etiam propter domum & familiam suam omnia decalogi præcepta transgredi audere. Magnam habet emphasin collatio uerborum חָרַב & רָצִים deserere & currere, peccatumq; exaggerat, nedum quòd hic Deus ait בֵּיתִי domus mea, qui supra dixit tantum הַבַּיְתָה in Dei domum iens, semper autem domus. Quid enim est homo nunquàm in domum suam currens, nisi diabolus incarnatus, uiuens mortuus, æternum damnatus? Quemadmodum enim in domum suam currere, peccatum est contra tabulam secundam totam, idcóq; pœnas temporales

porales meretur, quia sit odio damnoq; proximi, cui quisquis nocet in terdam & quartam generationem punitur Ex. XX. Ita domum Dei deserere, peccatum est contra tabulam primam totam, ideoq; pœnas æternas meretur, quia sit odio contemptuq; CHRISTI cui quisquis non credit æternum peribit. Io. 3. Deserentibus domum Dei & properantibus in domum suam, uerbi ministri, ludimagistri, scholastici, Lasari, sunt τὰ καθάρματα τῆ περιψήματα hoc est maledicta & reiectamenta. Pro uerbo Dei tales ore prouerbium illud terunt: oportet habere. Exempla sunt rex Ahab & Isabel regina. Non enim contenti fuerunt Ahab & Isebel duo regni dedecora Prophetas occidere & altaria destruere, ita ut diceret Elias, ego solus supersum, & me uolunt occidere, 3. Re. 18. sed etiam bona sua rapuerunt auarè subditis, ut domum regiam locuplet arent. 3. Re, 21.

PRoinde non est mirum tales pœnis & temporalibus & æternis puniri: sicut Ahab & Isabel ideo sicitate puniti caritateq; annonæ. 3. Re. 18 Occisi truculentissimè. 3. Re. 22. 4. Re. 9. Quia domum Dei deseruerunt, & in domum suam cucurrerunt. Etsi uerò tantum pœnæ temporales exprimuntur his uerbis. Cœlum uobis rorem denegat: terra fructum suum prohibet: siccitatem uocaui super terram, montes, frumentum, mustum, oleum, omnem terræ fructum, homines, iumenta, quicquid manus facit, quia tamen haud resipiscentes ab his peccatis, etiam perpetuò condemnantur propter incredulitatem, pœnis temporalibus etiam significari pœnas æternas, ex allegoria quoq; fulget. Quis enim ignorat per rorem significari spiritum Dei sanctum. Psa. 133? Quis nescit terræ fructum significare prouentum euangelicum Psa. 67? Nec est incognitum ex Esaia 55. Niuem & pluuiam significare Dei uerbum & spiritum, quo corda non aliter irrigantur & fructificantur ad credendum, diligendum, sperandum, quàm tellus per himbrem & niuem ad sementem & fructum præparatur atq; fertilescit. Econtra siccitatem priuationem uerbi ac spiritus Dei, locaq; arentia, corda uerbi spiritusq; expertia significare: notum sit ex eo quod CHRISTVS Lu. XI. Spiritum immundum ait per arentia loca ambulare. Cum ergò dicit (ideo cœlum uobis rorem denegat: terra fructum suum prohibet: siccitatem uocaui super terram, montes, frumentum, mustum, oleum, terræ fructum omnem, homines, iumenta, quicquid manus facit) Docere uelit tres ordines, propter neglectum templi, scholæ, pauperum CHRISTI & auariciam domesticam, non solum puniri corporaliter, ita ut seges ipsorum indigo roris non irroretur, fructus a Deo iusto sic negetur ut terra nec fruticet nec germinet nec fructificet, æstu squalore siccitate cœlitus omnia contabescant, dispereant, inarescant, sed etiam ut hostes sanctæ trinitatis omnium Angelorum & hominum pœnis spiritualibus ac æternis punitum iri: nisi resipiscant.

EContra pij studio longè maiore curant domum Dei quàm propriam: sicut Dauid Psa. 27. aiebat: Vnum petiui a Domino, ut in domo Dei maneam perpetuò. Et Coritæ Psal. 84. Malo ianitor esse in domo Dei quàm habitare in tabernaculis impiorum. Nec interim segnuer & contra Dei præceptum propriam domum administrant: ut Dauid Psa. 101. fuit ὁ ὀικονόμος. Syrachus 49. Inter omnes Iudæorum reges tantum fuisse tres ait, qui curarint ecclesias ac scholas diuinitus, uidelicet Dauid, Ezechiæ, Osiæ: sed hos laudibus fert in cœlum, reliquos omnes prævaricatores adpellat. Tantum igitur abest, ut ij qui magis domum Dei curant quàm propriam, instar Eliæ, hic egere & alibi damnari possint, ut Elias in exemplum piorum, magis domum Dei quàm propriam curantium, a coruis etiam pasceretur, ne fame periret. 3. Re. 18. & moriens igneo curru ueheretur in cœlum. 4. Re. 2.

Hos de peccatis & pœnis locos non ideo duntaxat tractaui copiosius, ut discant ij qui CHRISTVM oderunt & scholas ecclesiasq; negligunt quicquid sunt habent possunt esse maledictum, nec ipsis patere uiam in cœlum, nisi conuersis ad CHRISTVM: sed etiam ut docturi pœnitentiam tribus ordinibus ea peccata quæ contra decalogum sunt, pœnasq; decalogo comminatas proponant, nedum magis tabulam primam quàm secundam urgeant, nec ulli prædicent Euangelion, nisi conuerso ad CHRISTVM & fructus pœnitentiæ ferenti. Porrò talem concionem Hagianam effectu non carere, locus indicat sequens.

TVm Serubabel filius Sealthielis et Hiosua filius Iehozadaci magnus sacerdos, omnes reliquiæ populi, vocem Domini Dei sui, verbaq; Hagæi Prophetæ, audierunt:

quemadmodum miserat eum Dominus Deus eorum: et Dominum populus timuit.

Itaq; Hagæus Angelus Domini, legatione Domini fungens, ad populum inquit: Ego sum vobiscum: Dominus inquit. Ac Dominus spiritum Serubabelis filij Sealthielis ducis Iudæorum, et spiritum Iosuæ filij Iehozadaci magni sacerdotis, et spiritum vniuersi populi superstitis, exuscitauit ita, vt venirent et facerent opus in domo Domini exercituum Dei sui.

QVINTVS locus habet exempla per doctrinam legalem hactenus factam ad CHRISTVM conuersorum, hoc est, pœnitentium, credentium, ueros pœnitentiæ fructus profrentium. E quò nos doctrinas quinq; utilissimas hauriamus: Primò qui debeant μετανοεῖν resipiscere: Secundò quomodo sit agenda pœnitentia: Tertiò quomodo sit pœnitentiam agentibus Euangelion prædicandum: Quartò quid de euangelista sentiendum: Postremò quid euangelion in credentibus efficiat.

QVi debeant pœnitentiam agere, lucet ex his uerbis: Serubabel filius Sealthielis, & Iosua filius Iehozadaci magnus sacerdos, & omnes reliquiæ populi. Significat enim trium ordinum, hoc est omnium hominum, esse, propter CHRISTVM uenturum æstare decalogum præuaricari, & secundum eum uiuere: siquidem omnes tres ordines (pios semper excipio) creaturis utuntur non in gloriam CHRISTI uenturi, & utilitatem eius ecclesiæ, sed ut abdomini suo mundoq; interituro seruiant. Quoniam igitur omnes peccauerunt: & Deus respector personarum non est, sed quisquis rectè facit illi gratus est: ideo peccata contra decalogum tribus ordinibus ex æquo ostendenda sunt, ut legis comminationibus exemplisq; iræ territi, non solum ueniam peccatorum & uitam æternam per & propter solam Dei gratiam in CHRISTO uenturo promissam petere discat, sed etiam per fidem in CHRISTVM uenturum secundum decalogum uiuant dum spiritus hos regit artus, & quicquid ad scholas ecclesiasq; attinet prouehant studio summo.

QVomodo sit agenda pœnitentia, fulget ex his uerbis: Domini Dei sui uocem & uerba Hagæi Prophetæ audiuerunt, quemadmodum miserat eum Dominus Deus eorum, & Dominum populus timuit. Ad ueram pœnitentiam tria requiruntur, nempè Dei uerbum ex Propheta audire, Prophetæ uerba Dei uerba existimare, Deum timere.

AVdire uocem Domini uerbaq; Hagæi, est non solum patienter audire sibi per concionatorem ostendi peccata contra decalogum eaq; legis comminationibus damnari (sicut præcedentibus locis tribus ordinibus & peccata & pœnas secundum legem Hagæus ostendit) Verum etiam in animum inducere propter CHRISTVM uenturum, posthac nolle præuaricari. שְׁמַע non solum audire, sed etiam credere & obedire significat: ut psal. 81. Israel si me audierit, hoc est audito uerbo credideris idq; feceris. Horsum & illud Io. 8. Qui ex Deo est, Dei uerbum audit, id est credit & fiat. Qui namq; audit & non fiat, eum CHRISTVS Matth. 7. stulto comparat super harenam ædificanti. Quanquàm igitur uerbo Dei credere obedireq; nemo potest nisi qui uerbum prius inaudiuit, teste Paulina Climace Ro. X. Quomodo credent ei, de quo non audierunt? quia tamen auditus sine fide & facto, ne bylum quidem prodest: cum ait (Domini uocem audiuerunt) illos Dei uerbo audito credidisse paruisseq; docere uult. Nunc diligenter obseruemus Hagæum, ideo non simpliciter dicere, uerba Domini, sed addere uerba Hagæi Prophetæ (Propheta est qui Dei uerbum loquitur scripturasq; diuinas explicat, teste Paulo 1. Cor. 14.) ut uerbi ministerio doctoribusq; ipsis diuinam conciliet auctoritatem. Ac quid etiam concionator est idoneus, nisi os per quod Deus ipsemet loquitur? Hinc Paulus rectè 1. Thess. 2. dixit, quod audistis ex me Dei uerbum, accepistis non ut hominis sed ut Dei sermonem, ut etiam fiat reuera. Nec mirum fuit Lystranos Ac. 14. Paulum ac Barnabam docentes ut Deos admiratos fuisse, dixisseq; similes hominibus dij facti ad nos descenderunt. Verè namq; Deus & homo CHRISTVS

per os

per os Barnabæ Pauliq; loquebatur, ac miracula faciebat. Cum ergò dicit primò: uerba Domini, dein addit, uerbaq; Hagæi Prophetæ audiuerunt: Docere uult, non solum Prophetam (id est scripturæ doctorem 1. Cor. 14.) nil loqui debere, ni certus sit esse Dei uerbum, iuxta illud 1. Pe. 3. Si quis loquitur, ut Dei uerbum loquatur: sed etiam auditores, Prophetę uerba pro uerbis Dei adorare fidemq; illis adhibere debere: sicut etiam CHRISTVS Matth. X. uult dicens, Qui uos audit me audit. Quemadmodum misit Dominus Deus ipsorum Hagæum audire, est, non solum agnoscere sentireq; Hagæum in salutem ecclesiæ missum a Deo, sicut Niniuitę Ionam missum agnouerunt: sed etiam agnitum & susceptum quasi missum a Deo tractari: sicut Paulus etiam uult ministros uerbi sic agnosci 1 Cor. 4. dicens, existimet homo nos esse dispensatores Dei mysteriorum, ac gloriatur se tanti factum a Galatis, ut non solum ab illis sit tanquam angelus Dei susceptus, Verum etiam tam benignè tractatus, ut si possibile fuisset effossos oculos ipsi dedissent. Qui Prophetam suscipit in nomine CHRISTI suscipit CHRISTVM & Prophetę mercedem accipiet Matth. X. Qui uerbi ministrum abire iubet, Deum abire iubet, & pro CHRISTO recipiet diabolum, eruntq; eius nouissima primis deteriora. Necnon talem habebunt laudem in ecclesia CHRISTI, qualem Pilatus habet in symbolo apostolico. Emphasis est in אֱלֹהֵיהֶם Deus ipsorum: significat enim Iudæos Hagæum tanti fecisse, quanti Deum fecerunt. Quemadmodum legatus huius urbis tanti fit ab ijs ad quos mittitur, quanti fit senatus Reip. Lubecensis. Et CHRISTVM uelle non minoris uerbi ministros a Christianis fieri: lucet ex illo. Io. XX. Sicut me Pater misit, sic ego uos mitto. Cum ergò dicit (Quemadmodum misit eum Dominus Deus ipsorum) non solum docere uult, ut rité sermonem ueritatis secantes a Deo missos putemus eosq; ut angelos habeamus, Verum etiam ideo monere ne temerè missos a Deo repudiemus, quia uerbi ministrorum expulsores, hic a sanctis omnibus esse uerbi Dei negatores indicabuntur, & in extremo die tanquàm Iudas & Antichristus condemnabuntur.

Timere Deum est doctrina legali contristatum non solum recedere a malo & facere bonum iuxta decalogum, sed etiam promissa in CHRISTO bona petere in nomine CHRISTI, eaq; bona cum patientia expectare: timorem namq; Dei fidem in CHRISTVM perpetuò secum in dorso ferre, lucet e Ps. 33. sonante, Oculi Domini super timentes eum, ac sperantes in misericordia eius. Populum timere Dominum item esse, populum sacerdotibus & magistratibus in religione consentientibus obedire propter CHRISTVM uenturum, facile dixerim. Vbicunq; gentium ago Deum precor, ut non solum magistratum uerbi ministerio sinat fauere, sed etiam populum utriq; obedire: propter CHRISTVM uenturum. In cœlo sum ubi talem harmoniam uideo. Cum ergò dicit (Populus Dominum timuit) non solum erga Deum & rem ecclesiasticam ita se gessisse propter CHRISTVM uenturum, ut sacerdos docuit & magistratus præcepit, significat, uerum etiam bona timori Dei fideiq; christianę promissa consecutum esse, nempe Ps. 133 expressa, Ecce quàm bonum & iucundum fratres esse concordes: Hic promisit Dominus benedictionem & uitam æternam.

QVid de Euangelista sentiendum sit, uerbis his exprimit: Hagæus Angelus Domini legatione Domini fungens ad populum. מַלְאַךְ ὁ ἄγγελος nuncius, officij nomen haud naturę: unde nomen suum habet Propheta מַלְאָכִי meus nuncius. Angelus Domini uocatur quem Deus Pater CHRISTI spiritu repleuit ad docendum legem & Euangelion seu pænitentiam & remissionem peccatorum, in hoc ut resipiscentes & credentes omnium bonorum à Deo promissorum compotes fiant: Hinc Paulus dictus ἀπόστολος uocat officium suum angelicum τὴν διακονίαν καὶ λόγον τῆς καταλλαγῆς id est ministerium & sermonem reconciliationis. Signum angeli domini, id est missi à Deo est pura doctrina pænitentiam agentibus remissionem & uitam æternam in CHRISTO promittens: ut Esa. 52. Quàm speciosi pedes nunciandum bonum Sioni, Deus tuus regnat. Impossibile est non missum, id est spiritu sancto carentem rectè docere posse: testis Paulus Ro. X. Quomodo prædicabunt nisi missi sint? Ergò Dei regnum in CHRISTO esse uiuam angelorum & uerbi ministrorum habentium spiritum sanctum uocem, per quam CHRISTVS conscientias regit atq; credentes saluat: lucet ex Ps. 103. sonante, Benedicite Domino omnes angeli eius potentes uirtute, facientes uerbum illius ad audiendum uocem sermonum eius. Angeli Domini uox est scriptura loquens.

בְּמַלְאֲכוּת יְהוָה לְעָם ἐν ἀγγέλοις κυρίου τῷ λαῷ in missione domini populo: nos ideo legatione Domini fungens ad populum, ut significaremus, quemadmodum legatione fungens nil dicere aut facere debet in legatione, ni-

si quod a domino sibi legatum id est commissum est: Sic angelus Domini in uerbi ministerio nil diære de facere debet, nisi quod a Deo præscriptum est. Exempla Moses legatus Dei fuit ad populum, iuxta illud Ex. XXV. Fac omnia sicut tibi præscripsi in monte. Hagæus Esræ V. Prophetauit in nomine Dominu Dei Israel. Paulus 2. Cor. 5. ὑπὲρ Χριστοῦ πρεσβεύομεν ὡς τοῦ θεοῦ παρακαλοῦντος δι' ἡμῶν nomine CHRISTI legatione fungimur tanquàm Deo per nos obsecrante. Et 1. Cor, 11. dicit, Sicut à Domino accepi, ita uobis tradidi. Cum ergò dicit, (in missione Domini ad populum) docere uult, sicut Hagæus in angelico suo officio nil prophetauit, id est docuit, sine Dei uerbo, propter CHRISTVM uenturum in carnem, sic omnes angelos nil aliud docere debere, nisi Dei uerbum, idq; propter CHRISTVM uenturum ad iudicium, instar Pauli dicentis Gal. 1. Si quis uobis aliud Euangelion adnunciarit quàm id quod audiuistis, sit anathema.

QVomodo sit euangelion pœnitentiam agentibus prædicandum, fulget ex his uerbis: Ego sum uobiscum Dominus inquit. Est autem Dominum dicere, ego sum uobiscum, pœnitentiam agentibus, non solum omnia bona temporalia in lege expressa promittere: sicut ait Ex. XX. Ero misericors in milibus, qui me diligunt præceptaq; mea seruant. Verum etiam omnia bona æterna in Euangelio expressa promittere: sicut Paulus 2. Cor. 1. Corinthijs omnes Dei promissiones ita & amen in CHRISTO prædicauit.

QVid Euangelij uox in auditorum timentium & credentium animis efficiat, his uerbis exprimit: Ac Dominus spiritum Serubabelis ducis ac spiritum Iosuæ sacerdotis spiritum uniuersi populi suscitauit ita ut uenirent & facerent opus in domo Domini Dei sui. Est autem Dominum suscitare spiritum ducis sacerdotis populi, per os Prophetæ loquentis uerbum Dei spiritum dare sanctum, qui moueat ad cogitandum, dicendum, faciendum ea quæ necessaria sunt ad templi structuram deusq; requirit à tribus ordinibus expectantibus aduentum CHRISTI saluatoris. Repetit ter רוּחַ spiritum, ut significet Deum maximè delectari concordia magistratus sacerdotis populi: uel teq; ut hi tres ordines non solum in templorum ac scholarum structuris uerumetiam in linguarum professoribus, uerbi ministris, ludimagistris, scholasticis egentibus, fidei domesticis, amandis iuuandis ornandis amicissimè conspirẽt. Hæc porrò concordia trium ordinum in religione quoniam ex uerbo Dei tanquàm è fonte manat, Obadias Prophetæ ministros uerbi meritò saluatores appellat. Cum ergó dicit, suscitauit Dominus spiritum eorum, uelle docere non solum istos Iudæorum tres ordines per os Prophetæ spiritum accepisse, qui mouerit ad faciendum id, quod Deus præcepit, sed etiam mortalium neminem sine spiritu sancto Dei uoluntatem facere saluariq; posse. Horsum illud Pauli Ro. VIII. Qui spiritu Dei aguntur, ij filij Dei sunt, qui uerò CHRISTI spiritum non habent, CHRISTI non sunt. Hæc de spiritu: nunc de structibus. Etenim uenire & facere opus in domo Domini exercituum Dei sui, nil aliud est, quàm spiritu motos ad credendum in CHRISTVM uenturum, & propter CHRISTVM uiuendum, audacter omnia loqui et facere quæ conducunt ad templi dei pertinentiumq; ad templum ut scholarum incrementum. Et hic emphasim habet uox אֱלֹהֵיהֶם Dei sui: nam significat Deum omnium consiliorum dicturum factorum trium ordinum finem esse debere, ita ut homo propter id uiuat potissimum, ut CHRISTVM nosse discat, nilq; aliud faciat dum spiritum habet, nisi propter CHRISTVM è cœlo uenturum nostrumq; miserabile corpus clarificaturum suoq; immortali corpori simile facturum. Oportet omnes homines actionum suarum habere finem, propter quem uiuant: is finis esto CHRISTVS iuxta illud Phil. 3 Conuersatio nostra est in cœlis, e cœlo unde præstolamur Dominum IESVM, ut hoc corpus nostrum humile glorificet.*

HAEc ergò de concione prima Hagæi Prophetæ breuiter & in hoc dicta sint, ut non solum ex ea discamus pœnitentiam ac fidem secundum legem & Euangelion instar Hagæi docere, putareq; hanc methodum esse Propheticam & Apostolicam: uerum etiam ut sciamus eiusmodi legalem ac Euangelicam doctrinam salutarem esse tamq; certò quid efficere quàm hæc concio fecit, ut Iudæi templum extruerent animosè, uide Esræ sexto. Nunc de secunda concione, in qua uidebimus ut diabolus conetur quidem prope Dei templum (quod dicitur) ædiculam struere, tresq; ordines à structura templi Dei retrahere, sed spiritum sanctum per os Prophetarum Hagæi Sachariæq; omnes diaboli conatus porrò impedire.

Capu-

CAPVT SECVNDVM.

VIcesima quarta die mensis sexti, anno regis Darij secundo, tricesima prima die mensis septimi: factum est domini verbum per Hagæum, dicens. Alloquere Seruhabelem Sealthielis filium sacerdotem magnum, et reliquum populum dicens.

EPIGRAPHE tempus ac personas prophetiæ trifariam describit: orditur enim a Chronographia: dein autorem prophetiæ recenset: postremò ad quem prophetia facta sit exponit, ut ἡ ἐπιγραφὴ concionis primæ: nisi quòd in hac concione populi quoq; nomen exprimit. Mensis septimus Hebræorum a Latinis Aprilis uocatur. Erat autem secundæ concionis occasio, triplex Serubabelis, Iesuæ, populi, sollicitudo. Primum enim diffidebant templum extruendum tam augustum futurum, quàm destructum fuisset. Deinde uerebantur Iudaismum non ita resloriturum, ut antæ captiuitatem floruisset. Postremò CHRISTVM nimis serò uenturum metuebant, adeòq; de templi pompa ac sumptu discruciebantur. Huic triplici Iudæorum tanquam ægritudini deus uelut medicus animarum hac concione secunda medetur, illa constantæ uidelicet, quæstione seu concessione, adhortatione, promissione de CHRISTI regno.

ECquis inter vos supereſt qui domum hanc in gloria ſua priore vidit? ecqualis ea vobis nunc videtur? num vobis ea nulla videtur?

ORditur à triplici quæstione tacitaq; concessione, qua tanquàm populari demonstratione concedit quidem esse uerum, quòd templum ædificandum nullo modo sit destructo simile futurum: attamen propterea neuti quàm ab ædificatione templi cessandum putat. Adparet Hagæum pauciloquum copiosius dixisse quàm scripsisse: tribusq; interrogationibus hisce quasi trium concionum sensum ac summam complecti uoluisse. Nam si lucet è uerbis his (ecquis ueſtrum superest qui domum hanc in gloria suæ priore uidit?) Iudæos uehementer offensos, quòd minus terræ spaciiq; demensum esset templo posteriori struendo quàm prius Solomonium destructum habuisset (Darius enim templum reſici iussit altitudine cubitorum sexaginta: cuius altitudo fuerat antea cubitorum centum uiginti) quis non credat Hagæum pluribus uerbis id offendiculum amoliri conatum quam primum eroema præ se fert? Si fulget ex his uerbis (ecqualis ea uobis nunc uidetur?) Hagæum in fletum illum senioru templi prioris gloriam desiderantium populiq; gaudium e præsenti structura conceptum respexisse (fuit enim tantus & dolentium fletus & gaudentium clamor, ut etiam tubarum clangor obstrepens efficere non posset, ut à fletu clamor internosceretur) quis ambigat in hunc metum superstitiosum inuectum esse copiosius? Si perspicuum fit ex his uerbis (num uobis ea nulla uidetur? Hagæum Iudæos propter finitimorum etiam tyrannorum aduersitatem contristatos acrius erexisse quàm ex uerbis claret? Scribit Iosephus undecimo libro Iudæos apud Darium accusatos à Phœnicum tyranno, quòd non templum sed arcem conderent structuramq; interdixisse. Quæres haud dubiè structores templi sic deterruit ut facilè cessarint a structura, ni Propheta noster unà cum Sacharia quasi murus aheneus & Marpesia cautes obstitisset tresq; ordines confortasset, ut Esra quinto testatur. Ergò tres quæstiones he non solum tres tentationes præ se ferunt, quibus aduersarius CHRISTI tres ordines à templi structura conatus est retardare, uerum etiam declarant Hagæum interrogationibus tribus patheticis obiurgare Iudæos uoluisse, quòd tentationibus his cedere uellent, admonereq; ut eò magis ædificarent, quò magis ædificationi resistretur.

ITaqz tu Serubabel confide: Dominus inquit. Iosua fili Iehozadaci magne sacerdos sis fortis. Omnis terræ populi sis animo bono et labora: Dominus ait.

Regional-bibliothek Neubrandenburg
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1869415310/phys_0027
Mecklenburg Vorpommern

Equidem vobiscum sum: Dominus inquit: secundum verbum quod pepigi vobiscum in exitu vestro de Aegypto: spiritus meus inter vos manebit: ne timeatis.

HOrtatur ad ædificationem templi tres ordines, ὥστε ὁ ἐξορκίσκης: promittitq; ædificantibus bona in lege expressa.

חזק fortificare. Dicere autem Dominum ad ducem sacerdotem populum sis fortis & labora, est, Deum à tribus ordinibus requirere, ut non solum templum corporale, & quicquid ad templum pertinet ut scholas extruant, sed etiam templum spirituale ædant, id est libenter & sedulò uerbi ministerium & rem literariam ad templum utilem ac necessariam iuuent, ornent, augeant. Quemadmodum igitur CHRISTVS Matth. 26. non ideo dicit, edite meum corpus bibite meum sanguinem, hoc facite in meam commemorationem, ut non solum credamus in pane & uino CHRISTI ueram carnem & sanguinem esse, uerum etiam ut conscientiæ terrores usu carnis & sanguinis CHRISTI fugemus atq; repellamus. Sic uerbis his (itaq; tu Serubabel confide, Dominus inquit: tu Iosua fili Iehozadaci sacerdos magne sis fortis: omnis terræ populus sis fortis & labora Dominus ait) tres ordines cum Iudæorum tum gentium non solum hortari uult ad templi corporalis atq; spiritualis structuram uerum etiam præcipere, ut quicquid consilio ac re possint ad templi structuram corporalem ac spiritualem præ omnibus conferant.

HOrtationis autem rationem à facili subdit dicens: equidem uobiscum sum, Dominus exercituum inquit. Est autem Dominum exercituum esse nobiscum, ipsummet Deum spiritum sanctum opus, quod Deus pater in nomine CHRISTI facere nos uult, per nos quoq; efficere: sicut Dei filios agi spiritu sancto Paulus affirmat. Nullum opus difficulter ac infeliciter efficitur, quod Deus uult & facit. Itaq; rectè Psalmus 126. canit, Nisi Dominus ædificauerit domum, frustra laborant ædificantes. Rationis autem hortationis causam quoq; adnectit, uidelicet diuinam promissionem inquiens: secundum uerbum quod pepigi uobiscum in exitu uestro de Aegypto: spiritus meus inter uos manebit. Verbum à Deo cum Iudæis pactum est non solum promissio legalis Ex. XX. sonans, Ego sum Deus tuus, uerum etiam æternæ promissioni affixa ritusq; à Deo prescriptus, ut Ex. XXV. & deinceps. Vult namq; Deus his uerbis, secundum uerbum quod pepigi uobiscum in exitu uestro de Aegypto, spiritus meus inter uos manebit: ea lege recipere se promissiones suas de remissione peccatorum uitaq; æterna seruaturum, si iuxta leges CHRISTVM præfigurantes coluerint Deum & ueniam delictorum uitamq; æternam propter gratiam promissam in CHRISTO petiuerint: sicut & Zach. 1. dicit, Conuertimini ad me, & conuertar ad uos.

ERgò cum repetit hortationem uelut epilogo dicens (ne timeatis) iubet neutiquàm eò cessare ab opere templi cepto quòd minus sit templum struendum priori destructo futurum, sed ideo potius ædificandum maximè, quia Deus ædificationem mandauit & promittat cum illis se futurum misericorditer illisq; adiuturum omnipotenter.

ETenim sic ait Dominus exercituum: post breue tempus ego cælum, terram, mare, aridam commouebo: equidem gentes omnes commouebo: tum veniet DESIDERIVM CVNCTARVM GENTIVM. Ac domum hanc gloria complebo: Dominus exercituum inquit. Meum est argentum, meum est aurum: Dominus exercituum inquit. Maior erit gloria domus huius posterioris quàm prioris fuit: Dominus exercituum inquit. Et hoc in loco pacem dabo: Dominus exercituum inquit.

PRomissio de CHRISTI regno septem locis exstat: quibus uidelicet Deus animarum medicus sollicitudinem Iudæorum uanæ de CHRISTI aduentu sero templiq; structura medetur.

Primus

PRimus à tempore aduentus CHRISTI uerbis his exprimitur אַתַּת מְעַט הִיא עוֹד ad huc unum modicum est: nos sensum reddidimus ita, post breue tempus. Quia namq; de temporis diuturnitate Iudæi uexabantur animis Visum est his uerbis (adhuc unum modicum est) breue tempus significantibus, animos dubios in fide promissionum de CHRISTO confirmare. Siquidem ab hac promissione trecenti anni usq; ad Antiochum, & ab hoc usq; ad Herodem (sub quo natus est CHRISTVS) anni centum quinquaginta, coram Deo non solum modicum & breue tempus, sed etiam planè nil sit, iuxta illud Ps. 90. Anni mille coram Deo quasi dies hesterna quæ præterijt. Cum ergò dicit (adhuc unum modicum est) CHRISTVM promissum citò nempe tempore Danielis nono præscripto uenturum promittit.

SEcundus locus de signis aduentus his uerbis exprimitur: וַאֲנִי מַרְעִישׁ אֶת הַשָּׁמַיִם וְאֶת הָאָרֶץ וְאֶת הַיָּם וְאֶת הַחָרָבָה׃

AC ego cœlum & terram & mare & aridam commouebo. Est autem cœlum terram mare commoueri, cœlestia, terrestria, maritima CHRISTO aduentante commotum iri. Quæ cœlestium commotio nato CHRISTO Lu. 2? Quæ cœlestium & terrestrium commotio CHRISTO patiente & resurgente? Qualia & quanta signa recenset Ioël? nonne fecit etiam in mari CHRISTVS miracula tanta, ut ea uidentes dicerent Matth 8 Quis est ille cui mare uentiq; obediunt? Quicquid ergò noui ac mirandi factum est cœlo terra mari per aut propter CHRISTVM incarnatum, id prædicit Hageus & ista cœlestia, terrestria, maritina signa de aduentu Messiæ testari significat.

TErtius locus à gentibus CHRISTO seruituris hisce uerbis exprimitur: וּבָאוּ כָל הַגּוֹיִם חֶמְדַּת & ueniet desiderium omnium gentium: ego חֶמְדַּת delicium à חָמַד desiderare, concupiscere, transtuli, quia delicium significat oblectamentum ex amore perceptum, Ex quo perspicuum sit CHRISTVM ideo dici חֶמְדַּת delicium, quia conscientia legis maledicto contristata, læticiam ac salutem ineffabilem percipit, ex sola fide promissionum Dei & CHRISTI: sicut Iesa. 64. testatur inquiens, a sæculo nec auditum est auribus nec oculis uisum, præter te o Deus, quod paratum est ijs qui Deum expectant. Quale & quantum sit delicium CHRISTVS miserarum conscientiarum fulget ex Dei promissionibus de CHRISTO, quibus remissio peccatorum uitaq; æterna recipitur: hinc Paulus 2. Cor. 1. Corinthijs ideo nil prædicasse, nisi CHRISTVM affirmat, quia cunctæ promissiones essent amen & ita in CHRISTO. Conscientiæ tristis sola fide promissionum Dei & CHRISTI Lætificatur: ut Paulus Ro. V. dicit, Iustificati fide pacem habemus cum Deo. Sola fide consequimur uitam æternam: ut testatur CHRISTVS inquiens Io. 3. Qui credit habet uitam æternam. In libello nostro de nominibus christianis multa & iucunda CHRISTI nomina sunt CHRSTO non solum proprietatis & ornatus sed etiam discretionis gratia imposita: sed inter omnia quod non solum CHRISTO optimè quadret est חֶמְדַּת Sed etiam Christianis arrideat maximè. Sicut igitur Hagæus epitheto חֶמְדַּת innuit CHRISTVM unicam esse conscientiarum omnium diuinam uoluptatem ac salutem æternam: ita Paulus eam uoluptatem ac salutem æternam, per nullum aliud medium obtingere nobis affirmat, nisi per fidem promissionis Dei & CHRISTI dicens Gal. 2. Quicquid uiuo in fide filij Dei uiuo.

Ecquorum autem CHRISTVS est חֶמְדַּת delicium? Hagæus ait כָּל גּוֹי omnium gentium. Significat autem גּוֹי gens, omnes eos qui non sunt de stirpe iudaica. Deum enim non solum Iudæorum sed etiam gentium esse Deum, hoc est, Dei promissiones de CHRISTO omnibus mortalibus esse communes ipsemet testatur inquiens. Ge. 12. In semine tuo benedicetur omnibus gentibus terræ. Velleq; Prophetę spiritum simul innuere CHRISTO aduentante Mosen cessurum, lucet e uerbis Pauli dicentis Gal. 3. Lex fuit noster pædagogus ad CHRISTVM ut fide iustificaremur, nunc quoniam fides aduenit, sub pædagogo non amplius sumus. Vocabulum בּוֹא uenire, fidem in CHRISTVM uenturum requirit, spemq; in dorso fert promissiones de CHRISTO statim completum iri: sicut & Sach. 9. Fidem ac spem eiusmodi require-

luat dicens, ecce rex tuus uenit tibi. Et nos Dominum IESVM propediem & credimus & speramus uenturum. Ergò cum dicit (uenietq; deliciũ omnium gentium) uaticinatur CHRISTVM uenturum, non solum Euangelio spirituq; suo lætificaturum gentes omnes perpetuò, sed etiam regno sacerdotioq; Iudæorum sublatis regem sacerdotemq; gentium omnium, secundum promissiones diuinas, futurum.

QVARTVS à CHRISTI aduentu in hoc templum, his uerbis exprimitur: ac domum hanc gloria complebo. כָּבוֹד Gloria est frequens de aliquo fama cum laude: significatq; hic Euangelion quo CHRISTVS filius Dei seruator mundi prædicatur, & omnes uirtutes eius in omnibus promissionibus & nominibus diuinis expressæ cantantur. Hinc CHRISTVS 1. Cor. 2. ὁ κύριος τῆς δόξης dominus gloriæ uocatur: nimirum quòd credentium corpora similia reddet τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ corpori eius glorioso. Phil. 3. Ex quo perspicuum sit, domum hanc gloriæ compleri, nil aliud esse, quàm CHRISTVM gloriæ regem in hoc templum condendum uenturum, Euangelijq; de regno cœlorum prædicatione glorioſè regnaturum, in salutem gloriamq; æternam credentium omnium מָלֵא implere, causam ædificationis finalem denotat. Cum igitur ait (implebo domum hanc .. gloria) significat ob id potissimum extrui templum debere, ut CHRISTVS rex gloriæ ueniat in illud, omnesq; Dei leges & promissiones in salutem gloriamq; credentium omnium perennem adimpleat. Quod sanè Iudæos uehementer expetiuisse, lucet ex illo Malachiæ tertio, ubi ueniet ad templum suum Dominus ille quem uos quæritis, & Angelus testamenti quem uos auetis. Cum uenisset CHRISTVS & hanc Prophetiam implesset, deipara meritò canebat illud. Lu. 1. Esurientes impleuit bonis: siquidem ita spiritu sancto complebat suos discipulos, ut cogitare dicere facere possent omnia quæ conferrent ad salutem æternam.

QVintus à diuitijs Christianorum his uerbis explicatur: meum est argentum & meum est aurum. Est autem argentum domini esse, patrem omnipotentem non solum auri & argenti creatorem & dominum esse, uerum etiam aurum & argentum tanto prius in usum ecclesiasticum & scholasticum quàm in reliquum usum humanum creasse & destinasse, quanto potior est animus quàm corpus, magis necessarium & utile Dei uerbum animis quàm cibus & potus corpori, linguarum peritia commodior adulescentibus quàm argentum & aurum. Quod uerbi ministris ac ludimagistris subtrahitur, id exactoribus & militibus furibus & igni muribus & putredini reseruatur. Proinde non solum exigit à diuitibus ut res ecclesiasticas procurent diligentissimè, recipitq; se prouisurum ne defiat aurum & argentum ad templi refectionem, sed etiam tacitè pœnas comminatur auaris ergà templum, nedum bonis ecclesiæ scholisq; debitis in suum commodum abutentibus, ecclesias autem scholasq; iacere sinentibus: quod sæculo quoq; nostro fieri non sine dolore uidemus.

VIdit Propheta quomodo tres ordines a diabolo uexarentur ad dicendum: egemus ipsimet auro & argento nostri, nec id possumus ad templi refectionem expendere. Itaq; liberat illos ab auaritiæ tentatione ea arte qua CHRISTVS semet a tentatore uindicat Matth. 4. Sicut enim CHRISTVS abegit tentatorem hoc uerbo: non solo pane uiuit homo sed omni uerbo dei. Sic Hagæus hoc Dei uerbo (Meum est aurum & meum est argentum inquit dominus exercituum) tres ordines ab auaricia liberat adq; liberalitatem inflammat promissione diuina quam fert in uentre pronomen לִי mihi. Significat enim לִי mihi (est) Deum templi structuribus spontaneis etiam aurum & argentum suppeditare uelle quò struant, modo uerbo Dei libenter pareant & animosè Dei Præceptum obeant: sicut CHRISTVS Matth. 6. Iis qui primò Dei regnum quærunt omnia bona promittit. Deum ideo largiri mortalibus aurum & argentum ut dites pauperibus subueniant, ex illo Salomonis Pro. 22. lucet dicentis, dives & pauper unà uersantur utrumq; Deus fecit. In hoc autem præcipuè dari aurum & argentum ut liberaliter ecclesiæ ministris & scholasticis subueniatur, e uaticinijs quoq; Prophetarum claresçit. Esa. 23. Promittit tyrios mercatores ecclesiam aluturos, Ps. 72. Vaticinatur reges maritimos insulares Arabios Sabæos dona ac munera allaturos Tantum abest ut Ioseph & Maria potuerint egere ut Deus & pater CHRISTI miserit etiam magos ex oriente qui ferrent aurum CHRISTO Bethlehemitico Matth. 2. Et Magdalenam Iohannam Susannam Deus in hoc ditabat ut Apostolos CHRISTI sustentarent. Lu. 8. Vult ergò spiritus & his uerbis (Mihi est aurum & mihi est argentum, inquit Dominus exercituum) non solum hortari tres ordines ut liberaliter ad templi structuram hoc est ad totum ministerium suppedi-

tent

tent aurum & argentum quasi debitum ad hoc & datum a deo, uerum etiam promittere si liberales erint se non commissurum ut ipsi plus dent quàm ipse redditurus sit.

SExtus à gloria templi struendi maiore quàm gloria templi Solomonis fuit his uerbis exprimitur: gloria domus huius posterioris maior erit quàm prioris fuit. Notum sit ex Iosepho regem Herodem hoc templum conditum postea destruxisse & magnitudini templi prioris coæquasse. Sed Hagæus uocat גדול maiore uerè non respicit in magnitudinem templi corporalis (dicit enim Stephanus Act 7. Solomon condidit templum Deo: Deus autem non habitat in templis manu factis) sed in magnitudinem uenturi CHRISTI in hoc templum & credentes omnes DEI magni templa facturi, iuxta illud 2. Cor. 6 Vos estis templa DEI uiuentis. Ergò gloriam domus posterioris maiorem quàm prioris futuram, nil aliud est quàm in hoc Templo condendo maiora esse gerunda per CHRISTVM quàm in destructo Solomonio per Mosen gesta sunt. Quò maior est seruo Mose Dominus IESVS, eò maiora sunt opera quæ Filius DEI secundum Euangelion faciet in templo posteriore, quàm ea quæ secundum Legem Mosi facta sunt in templo priore: sicut & CHRISTVS Ioan. 8. diserte suum officium à Mosaico discernit docetq; per Legem Mosi transgressores incredulos damnari, resipiscentes autem Euangelioq; credentes iustificari saluariq; inquiens. Seruus non manet in domo perpetuò: filius autem manet: ergò si filius reddit uos liberos tum uerè liberi estis. Proinde cum dicit (Maior erit gloria domus huius quàm prioris fuit) uaticinari uelle, non solum cæremonias legis per Euangelij predicationem abrogatum iri sed etiam nouu testamenti gloriam perennem longè maiorem futuram quàm ueteris testamenti gloria temporalis fuit: luxt è Pauli quoq; uerbis 2. Cor. 3. Vetus instrumentum litteræ nouum spiritui conferentis ac dicentis: littera occidit, spiritus uiuificat: ac si gloriam habuit temporarium quantò magis habebit gloriam æternum?

SEptimus à regno CHRISTI spirituali, uerbis his exprimitur: & hoc in loco pacem dabo. שלום pax tranquillitas libertas. Eam duplicem esse uidelicet externam sine fide ac internam cum fide, lucet ex illo CHRISTI Io. 16. Pacem meam do uobis, non quam dat mundus: Vult CHRISTVS significare Dei uerbum pacem quidem cordis internam afferre credentibus, sed cum pace corporis externa doceri nunquàm posse. Horsum & illud Matth. X. Non ueni mittere pacem sed gladium ita ut filius resistat patri suo, & filia matri suæ, & nurus socrui suæ, & hominis inimici erunt domestici eius. Ex quo perspicuum sit pacem in hoc loco dare nil aliud esse quàm Sachariæ nono pacem docere: nimirum conscientias legis comminationibus exemplisq; iræ diuinæ territas promissionibus Euangelicis de remissione peccatorum uitaq; æterna pacificare: sicut Paulus Ro. V. se iustificatum fide pacem habere cum Deo gloriatur. CHRISTVS Esa. 9. princeps pacis uocatus est duas ob causas. Primum quia populus eius pacem studet cum omnibus hominibus seruare iuxta illud Ps. 34. Ama pacem: docetq; eam ut Paulus Ro. XII. Secundò quia pax credentium interna sensum omnem exuperat, ita ut externam aduersitatem haud curent & mori quàm Euangelion negare malint. Hinc Paulus dicebat mori lucrum meum est. Proinde uerbis his (hoc in loco pacem dabo) CHRISTVS promittit regnum suum in hoc templo per Euangelion ordiendum haud mundanum sed spirituale futurum ita ut spiritus eius non solum docturus sit mentes lege perterrefactas adeoq; in mundo contristatas, sola fiducia misericordiæ diuinæ in CHRISTO promissæ cum Deo pacem opemq; à Deo precibus acquirere, sed etiam pacem eam superantem omnes sensus in credentibus factum seruaturum, ut Paulus ait Ro. 8. certificat hic spiritus nos esse filios Dei.

MVndus studet externæ paci μονονουχὶ iuxta illud I. Io. II. quicquid est in mundo concupiscentia est oculorum & carnis atq; fastus bonorum. Exempla diuites illi Lu. XII. & XVI. Externa pax sine interna tempestas est magna: teste Iesa. 58. dicente, Non est pax impijs, sed tanquàm mare feruens. Hæc tempestas interna cerni non potest nisi dum sonat Euangelion pacis, iuxta illud Lu. 11. Fortis armati omnia sunt in pace donec fortior illo ueniat. Hic proditur inimicicia serpentina Ge. 3. Sicut ait CHRISTVS Lu. 11. Qui non est mecum contra me est. Mundus semper angelis pacis bellum infert, iuxta illud Ps. CXXI. Ego pacem amo, dum loquor autem illi rebellant. Hinc & CHRISTVS postquàm dixit, arguet

mundum de præsto: subdit crucem, prædicitq; apostolis serum puerperarum experturos. Etsi mirabile sit hoc Dei consilium, quòd ecclesiam æternam habituram pacem in cœlis finit in terris perenne bellum experiri: contra mundum æternum bellum cum igne perenni gesturum in tartaro, finit pacem in terris habere & bellare contra Dei sanctos omnes. Horsum illud Luce. 6. Væ uobis qui ridetis nunc, quia flebitis. Et Luce. 16. Memento quòd bona tua in uita tua recepisti. Et Ioan. 16. Tristicia uestra in gaudium conuertetur. Proinde semper nobis suspecta mundi pax sit externa: malimusq; cum Psalmista pacem internam quàm externam habere dicereq;, Maloiamtor esse in æde Dei quàm habitare in tabernaculis peccatorum: siquidem una dies in atrijs tuis est melior quàm mille aliàs

NEmo sit autem qui nesciat Hagæum Prophetica breuitatis artificiæ ideo toties in una concione repetere uerba hæc (sic ait dominus exercituum) ut non solum quicquid de CHRISTO concionatur esse Dei uerbum credamus sed etiam ut credentes iusti reputemur a Deo bonaq; in hac concione promissa consequamur.

ἡ ἀνακεφαλαίωσις.

ENimuero licet hæc de conæone secunda satis esse dicta christiano uidcripossint: tamen propter methodum addenda mihi sit ἡ ἀνακεφαλαίωσις eiusmodi. Proinde si quis pœnitentiam ac fidem secundum legem & Euangelion simpliciter uelit doœre, cœnaonem secundam Hagæi diuidere queat in duos locos eosq; hoc modo tractare.

PRiore loco Propheta legem seu pœnitentiam docet trifariam: Nam primum ostendit peccata sua duci populo, sacerdoti, uerbis bisce (Domus Dei quasi nil in oculis uestris est) nimirum illos accusans transgressionis totius primæ tabulæ: qui religionis contemptus fons est peccatorum omnium. Deinde uocat peccantes ad pœnitentiam ita ut iubeat timidos confidere assantesq; laborare: quibus uerbis reuera nil aliud præcipit nisi tabulam primam seruare, uidelicet templum extruendo, CHRISTVM uenturum prædicando, sabbatum sanctificando. Postremò resipiscentibus ac tabulam primam seruare studentibus templum extruendo præmia corporalia ac spiritualia promittit. Etenim primum ait (ero uobiscum) quod idem est cum illo. Ex. XX. Ero misericors. Dein ait (spiritus meus erit inter uos secundum uerbum AEgyptiacum) quod est promittere se responsurum inuocantibus de tabernaculo. Ex. 25. Si primam tabulam seruarint templumq; extruxerint CHRISTO uenturo. Hæc de pœnitentia secundum legem: quæ nil est aliud quàm pædagogus ad CHRISTVM legis implementum.

SEcundo loco docet Euangelion fidemq; in CHRISTVM: cuius regnum prædicit atq; describit locis septem.

PRimus a tempore aduentus: promittit enim ato uenturum, nempe tempore Danielis nono præscripto. Secundus a signis aduentus: significat enim omnia commotum iri CHRISTO cum Euangelio aduentante. Tertius à gentibus CHRISTO seruituris: promittit enim omnes CHRISTO nationes, instar Psal. 72. Quartus ab aduentu CHRISTI in hoc templum: iuxta Prophetiam Malachiæ tertio. Quintus à diuitijs Christianorum: promittit enim nil bonorum etiam temporalium ecclesiæ defuturum, iuxta illud Ps. 8. Omnia pedibus eius subiecisti. Et illud Esa. 49. Reges erunt tui nutritores. Sextus à gloria templi posterioris maiore quàm prioris fuit, seu legis abrogatione per Euangelion: iuxta sententiam Pauli 2. Cor. 3. litera occidit, spiritus uiuificat. Septimus a regno spirituali: siquidem uerbo se rectorum & conscientias Euangelio se pacificaturum promittit. Horsum & illud. Zach. 9. Dœbit pacem & arcus belli destruetur. Hæc de fide in CHRISTVM secundum Euangelion: quæ sola coram Deo sine legis operibus iustificat uitamq; æternam consequitur.

VIcesimaquarta noni: anno Darij secundo: factum est Domini verbum ad Hagæum: dicens.

ἡ χρονογραφία: dicit enim mense nono (qui latinis Maius est) anno Darij secundo, cœnaonem hanc per Deum ad Hagæum fictam esse. Quemadmodum autem in conaonibus præcedentibus, sic in hac quoq; ædificatio templi potissimum urgetur. Iudæi contra Dei uerbum templi structuram cultumq; ecclesiasticum a Deo præscriptum negligebant, & alibi nec ut debebant sacrificabant. Quicquid

quid autem non sit ex fide, peccatum est. Itaq; huius tertiæ conclonis propositio est: Iudæorum sacra non in templo sineq; uerbo Dei facta peccata esse. Diuidamus ergò conclonem in tres locos: Primus esto de sacerdotum officio: secundus iudæos duplici rogato conuincit atq; damnat impietatis ob templum neglectum: tertius duplici ratione declarat, cur ante iactum templi fundamentum mala tempora fuerint, post uero iactum fundamentum bona tempora sint.

Sic ait Dominus exercituum: Interroga Sacerdotes legem: dicens.

PRimus locus est de Sacerdotum officio. Per sacerdotes intelligamus hic personas Aaronidas & Leuitas ad uerbi ministerium uocatas: Ex. 28 Vt in nouo Testamento uerbi ministri uocati propriè sacerdotes adpellantur, iuxta illud 1. Cor. 14. Duo tresue loquantur cæteri iudicent. Aliàs per summum pontificem IESVM CHRISTVM omnes Christiani sacerdotes ordinati sunt. 1. Pe. 2. Legis nomine totum hic uetus instrumentum accipe: sicut Io. 1. Lex per Mosen. Interrogare est de cunctis rebus ad conscientiam pertinentibus, hoc est peccatis & peccatorum remedijs consulere. Ex quo perspicuum est sacerdotis officium in ueteri Testamento fuisse, legem totam sare deq; rebus omnibus leges cautu respondere: sicut & Moses Deut. XVII. testatur inquiens. Si cubi in urbibus Israel quæstio fuerit exorta inter sanguinem & sanguinem, inter iudicium & iudicium, inter lepram & lepram, inter contradictionem & contradictionem: eant ad sacerdotes & leuitas, uel ad pontificem in diebus illis constitutum, & quærant ab eo legem Domini: quibus respondentibus faciant quod iubentur. Quod si non fecerint exterminentur de populo. Et CHRISTVS aiebat in nouo Testamento Matth. 8. Vade & ostende te sacerdoti: licet dicti occasionem ex ueteri sumens. Estq; sacerdotis officium in nouo Testamento per legem omnia peccata conscientijs ostendere, perq; Euangelion omnibus peccatoribus agentibus pœnitentiam remissionem peccatorum & uitam æternam promittere, nedum contrariam doctrinam refutare: sicut & Paulus Tit. 1. dicit Presbyterum oportere διδασκτικὸν esse potentemq; τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, id est contradicentes arguere. Taleq; officium efficax esse coram Deo, luce ex illo CHRISTI Io. XX. Quibus peccata remiseritis, eis sint remissa: quibus retinueritis sint retenta.

ENimuerò quid est sacerdos imperitus scripturæ, nisi talpa non uidens solem? Non ineptè Hieronymus inquit: Dum sacerdos indoctus sacris iniciatur, cæcum animal Deo offertur. Eiusmodi plus lectionis in rationarijs quàm in Biblijs consumere solent. Hinc non solum Deus in ueteri Testamento notat tales inquiens per Esaiam XLII. Quis est cæcus præter seruum meum? sed etiam CHRISTVS in nouo Testamento uocat eos ideo τυφλοὺς ὁδηγοὺς cæcorum duces, quia ferè culpa sacerdotum indoctorum & mutorum est populi cæcitas impietasq;. Quisquis igitur uult sacerdos haberi gloriariq; ut Paulus 1. Cor. 4. λογιζέσθω ἡμᾶς ἄνθρωπος ὡς οἰκονόμους μυστηρίων θεοῦ: is sciat ideo dictum à Deo per Hagæum, interroga sacerdotes legem, ut sit etiam doctus scripturæ fidelisq; interpres scripturæ iuxta illud ζητεῖται ἐν τοῖς οἰκονόμοις ἵνα πιστός τις εὑρεθῇ. Quod si quis in ministerio quærit πεδὸς τὰ ἄλφιτα, seducitq; animas traditionibus humanis, is sciat in se & sibi credentes ex æquo dictum illud Matth. 15. ἐαν τυφλὸς ὁδηγῇ τυφλὸν ἀμφότεροι εἰς βόθυνον πεσοῦνται.

SI quis poneret carnem sanctam in sinum uestimenti sui et attigerit sinu suo Panem, Pulmentum, Vinum, Oleum, edulium quoduis: num sanctificabitur? Sacerdotes responderunt dicentes, non. Tum Hagæus inquit: si contigerit anima pollutus hæc omnia, num polluentur? Sacerdotes responderunt dicentes: polluentur. Respondit Hagæus inquiens: sic populus iste, sic gens ista, coram me: Dominus inquit: sic omne quod faciunt manus eorum, et quicquid afferunt huc, pollutum est.

Secundus locus habet duplex rogatum: é cuius responso pronunciatum elicit Hagæus, omnes Iudæos impuros esse coram Deo propter neglectum templum CHRISTO uenturo condendum. Prius interrogatum est de sanctificatione: num uestis in quam est inuoluta caro sancta quid aliud suo tactu sanctificet. Per carnem sanctam intellige quicquid bestiarum in altari secundum legem oblatum erat: puto sanctam ob id potissimum adpellari, quod sancti CHRISTI carnem passuram præfigurabat. Ad hoc rogatum Sacerdotes respondent non: cur? quia nulla Dei lex quæ id iubet. Posterius rogatum est de pollutione: num prophanus quodlibet attactu suo polluat. Prophanum seu pollutum anima uocat eum, qui morticinam carnem attigit lege uetitam attingi: sicut Leuit. 21. Sacerdotibus interdictum morticinam carnem certarum personarum attingere. Nec sit qui nesciat pollutum anima seu prophanum esse, nil aliud hic esse, quàm tamdiu excommunicatum esse, quamdiu peccata contra legem secundum legem non expiantur. Ad hoc rogatum Sacerdotes respondent affirmatiuè: cur? quia lex est Dei uetans id Leuit. 22. Quoniam ergò sacra non sanctificant prophana, sed prophana polluunt sacra: Vide quàm ingeniosè quamq; artificiose Propheta noster illaqueet sacerdotes eliciendo, uidelicet accommodationem ad rogatum posterius: è quo colligat περιτωμῆς opera Iudæorum sacraq; omnia uel ideo non aliter esse polluta quàm pollutum est quicquid tangitur à polluto, quia non sacrificant in templo rituq; eo quo Deus sacrificari uult.

Ante uerò quàm causam accommodationis explicemus breuissimè: uerba saltem ipsius accommodationis primoribus (quod dicitur) labris delibemus. Populum hunc & gentem hanc similem esse polluto anima coram Deo, est Iudæos omnes qui contra dicunt Hagianæ concioni sic excommunicatos & damnatos esse iuxta legem, ut anima pollutus excommunicatus est damnatusq;, donec resipiscat. Cuiusmodi opus manuum eius pollutum esse, idem sit dicere quod Paulus ait Ro. 14. Quicquid non fit ex fide peccatum est. E quò perspicuum est, quicquid offerunt esse pollutum, idem esse quod CHRISTVS ait Matth. 15. Frustra me colunt docentes hominum doctrinas. Vide autem quàm Prophetа sit parrhisiades quòd audet populum Dei uocare גּוֹי gentem & quidem ἐθνικῶς זֶה Pronomine addito. Siquidem uox גּוֹי tam ig nominosa fiat apud Iudæos, ut contumelioſe uocarent gentes תַּעֲרֵלִים id est incircumsectos. Sed quemadmodum nos christianorum nomine tenus ui tam parum ab antichristis differre dicimus: sic Hagæus Iudæorum cultum parum à gentilium cultu distare significat. Accommodationis igitur huius (sic populus iste, sic gens ista coram me dominus ait sic omne quod faciunt manus eorum, & quicquid offerunt huc pollutum est) causæ tres sunt. Prima est decalogi præuaricatio: secunda est inpœnitentia, debebant enim ceremonijs & locis præscriptis à Mose Deo seruire: tertia est incredulitas, debebant enim per fidem in CHRISTVM uenturum opera legis fecisse, iuxta illud Gal. 3 Lex pædagogus noster ad CHRISTVM. Vides omnia Iudæorum opera propter neglectum templum uerbiq; ministerium damnari. Nam etsi nec templum sanctificaret nec ceremoniæ legis in templo factæ per se coram Deo iustificarent, sed propter fidem in CHRISTVM uenturum in hoc templum erant Deo gratæ: quia tamen Iudæi transgrediebantur præceptum & in arula forte quapiam contra Dei uerbum sacrificarant: ideo sacerdotes potissimum de lege rogat, exq; responso ipsorum Iudæos impietatis condemnat, ut eorum conscientiam quasi prævaricatricem accuset, eorumq; negligentiam in docendo causam impietatis Iudæorum præcipuam esse declaret. Proinde nil in omnibus ceremonijs & operibus spectandum esse discamus præter Dei uoluntatem in scripturis expressam.

TERTIVS locus habet duplicem rationem mali & boni temporis ante iectum templi fundamentum & post. Prior est ab interitu rei familiaris inopinato: quo uidelicet in hoc afflugebantur ut resipiscerent, templumq; Dei plus quàm rem domesticam curarent. אֶל עֲרֵמַת עֶשְׂרִים ad aceruum uiginti: subintellige modiorum, quæ uox in hebræo non est: estq; sensus, uenienti (quis) ad frumenti aceruum ex quo sperauit se modios uiginti laturum, uix decem tulit. יֶקֶב torcular תִּשְׁתָּה haurire per translationem, aliàs reuelare significat. פּוּרָה lagena. בָּא אֶל חֵיקֵב לְתִשְׁתָּה חֲמִשִּׁים פּוּרָה ueniens ad torcular ad ex hauriendum quinquaginta lagenas. Santes בַּת reddidit βάτος batus. Est autem בַּת apud hebræos decima cori pars. Seruius de pondere scribens ait Vnam amphoram batum continere. Hinc nos ita: qui uenebat ad torcular cuacuatum

